

Sc.19.Pl.7.


37
28 A
3



F. JOSEPHI-ARCHANGELI
A FRACTA MAJORI
ORDINIS MINORUM OBSERVANTIUM
SACRÆ THEOLOGIÆ
SYNOPSIS
AD USUM
CLERICORUM ORDINANDORUM
IN HAC SECUNDA EDITIONE
Diligentius recognita, multisque additionibus aucta, atque illustrata, ita ut non amplius SYNOPSIS dici debeat, sed

SACRAE THEOLOGIAE

DOGMATICO=SCHOLASTICÆ

CURSUS

Plana facilique Methodo concinnatus, ad usum Scholarum, omniumque Studentium commodum



TOMUS III.

CONTINENS TRACTATUS

I. DE DEO EJUSQ. DIVIN: ATTRIB.
II. DE INVISIB.; DEI
III. DE SS. TRIN. MYSTERIO
IV. DE DEO CREATORE.



NEAPOLI MDCCCXXXI.
Ex Typographia Jo: Rusconi
Via S. Annae Lombardorum N.° 37.
Superiorum facultate.

TRACTATUS. I.

De Deo ejusque Divinis attributis.

Quoniam totius Sacræ facultatis objectum Deus est (Proleg. T. I. §. 6.), atque Deum nosse, a quo bona cuncta sive naturae, sive gratiae in nos derivantur, consummata justitia est (Sapient. Cap. XV. v. 3.); nullus propterea Tyroni Theologo magis jucundus, utilis, atque necessarius erit Tractatus, quam de Deo uno, ejusque Attributis. Hunc ergo explicare, omni claritate, qua fieri poterit, satagentes, quinque Capitibus, absolutum dabimus.

CAPUT I.

De nomine, atque existentia Dei.

§. 1. *Animad.* Dei nomen Sacris in literis solet pluribus tribui. Aliquando enim Judicibus tribuitur; veluti cum dicitur a Psalmista (Psal. 81. v. 1.): *Deus stetit in Synagoga Deorum*; aliquando Regibus, et Principibus Terrae, veluti cum idem dicit (Psal. 46. v. 10.): *Dii fortes Terrae vehementer elevati sunt*; aliquando Sacerdotibus, atque animarum Rectoribus, veluti cum dicitur (Cap: XXIII. v. 28.): *Ego dixi: Dii estis*; et in Exodo: *Diis non detrahes*. Praecipue autem, et proprie illi Enti tribuitur, a quo caetera omnia esse suum obtinent, atque gubernationem, veluti cum dicitur, in Genesi (Cap: I. v. 1.): *Creavit Deus Cœlum, et Terram*; et in Libro Sapientiae (Cap: XII. v. 13.): *Non est alus Deus, quam tu, cui cura est de omnibus*; unde et *Deus Deorum Dominus* (Psal: 49. v. 1.) appellatur, atque in hac postrema acceptione, Dei nomen semper a nobis usurpabitur. Itaque.

§. 2. *Def.* *Dei nomine*, intelligimus *Ens a se*,

scilicet *improductum; necessarium*, *quod in se rationem sufficientem habet suæ existentiæ* (1).

§. 3. *Coroll.* Est ergo Deus Ens quocumque alio infinite excellentius, et inconprehensibile cogitatu; omnes in se perfectiones infinito gradu continens. A quo cetera omnia, quae extra ipsum sunt, in esse conservari, et vivere omnino dependent. Hinc Nazianzenus (Orat: 40.) « Certe hoc Deus est, quod » cum dicitur non potest dici; cum aestimatur non » potest aestimari; cum definitur, definitione crescit; » quem omnia nesciunt, et metuendo sciunt ».

§. 4. *Schol.* Hunc Deum qui admittit dicitur *Theista*; contra vero *Atheus*, qui eum negat; et quidem *positivus*, qui eum scienter inficiatur; *negativus* vero, qui nullam Dei cognitionem habet. Insuper *Atheus speculativus*, vel *theoreticus*, qui suasus est Deum non extare; *practicus* vero, qui Deum admittit quidem, sed vitam ducit vitiis, atque sceleribus ita inquinatam, ac si Deus non esset culparum inspector, et vindex. Verum an dentur Athei

Variae sunt Auctorum sententiae.

§. 5. Sane Atheos practicos extitisse semper, extare modo, atque usque ad Mundi finem fore extituros, certa res est, et cuicumque explorata. Nam *stultorum*, atque iniquorum hominum *infinitus est numerus* (Ecclesiast. Cap. I. v. 15.); *et lata porta, et spatiosa via est* (Matth. VII. v. 13.), *quæ ducit ad perditionem, et multi sunt, qui intrant per eam.* Revera: Fit » frequenter ut nos, cum vere ne-

(1) *Ita fere Deus seipsum in Exodo Cap. III. v. 14. descripsit, dum Moysi quærenti, ut sibi diceret, quis esset, respondit*: Ego sum qui sum; *et in Apocalypsi Cap. I. v. 8. ubi ait*: Ego sum principium et finis.

» cessitas ad confessionem Dei cogat, oblectatio ta-
» men vitiorum Deum non esse persuadeat, et quod
» contra fidem credimus, id tamen de consilio cor-
» dis impii eloquamur «. Atheos quoque negativos existere haud dubium est; nam inveniuntur non pauci qui de Deo nec cogitant, nec an sit inquirunt. Verum Atheos vere dictos, *speculativos* nempe, extare modo, aut aliquando extitisse, incertum est. Affirmant Veteres, atque non paucos enumerant (Legatur Gener. Tomo II.); sed isti aut impii, aut stulti fuerunt; unde David (Psal. 13. v. 1.): *Dixit insipiens in corde suo: non est Deus. Corrupti sunt, et abominabiles facti sunt in studiis suis: non est qui faciat bonum, non est usque ad unum.* Vox nostris hisce temporibus undique personat, Mundum Atheis plenum esse, atque atheismum ubique fixisse radices; at meo judicio, nullus revera datur Atheus ejusmodi (1). Quod si aliquos, nonnulli, vere atheos fuisse sustinere vellent; ego » illos, cum Lactantio (Lib. VII.
» C. 9.) non modo Philosophos, sed ne homines
» quidem fuisse dixerim. » Quis enim sui compos, et recta ratione utens, serio et ex corde persuadere sibi poterit, Deum non existere? Statim ac namque aliquis seipsum, et quæ circa se sunt parum contemplatur, nequit Deum non conspicere (2). At nonne permulti sunt, qui etiam gloriantur se Atheos esse? Profecto. Verum hos aperte inficior positivos, ac theoreticos Atheos esse, qui desiderio, ac voluntate ve-

(1) Dizionario *Filosofico della Religione Tomo I. parola* Ateo.

(2) *Hinc optimus Poeta* Metastasius *Deum alloquens, cecinit:*

Ovunque il guardo giro
Immenso Dio ti vedo.
Nelle opere tue ti ammiro,
Ti riconosco in me.

La Terra, il Mar, le Sfere
Parlan del tuo potere;
Tu sei in tutti, e noi
Tutti viviamo in te.

rius Athei appellantur; qui nempe cuperent, et efficaciter vellent, Deum non existere, ut ita sibimetipsis relicti, atque sensui, ac passionibus laxatis habenis, Epicureorum vitam ducere possent, absque metu supremi Judicis, et conscientiæ stimulo (1). Sed irrito semper conatu; Deus enim ubique eis se offert contemplandum.

PROPOSITIO I.

Dei existentia naturali ratione demonstratur.

§. 6. Nam *a magnitudine speciei* (Sapientiae Cap. XIII. v. 5.), *et creaturae cognoscibiliter poterit creator horum videri;* et *Invisibilia ipsius* (Roman Cap. I. v. 20.), *per ea, quæ facta sunt intellectu conspiciuntur.* Et sane Deus est Ens a se (§. 2.); sed Ens a se necessitate suæ naturæ existit; Ergo existit Deus. Probatur min. Si Ens a se non existeret necessitate suæ naturæ, ejus existentia esset contigens, et non necessaria; adeoque ab alio; Ergo esset, et non esset a se, quod repugnat. Deinde si non daretur Deus, Ens nempe a se et necessarium, omnia essent contingentia; atqui repugnat omnino existere contingentia sine Ente necessario; Ergo etc. Prob. min. Entia contigentia illa dicuntur, quæ aliter esse possunt ac sunt, mutabilia

---

(1) *Apposite* Nicolaus Jamin (*in Lib.* Pensieri relativi agli errori de' nostri tempi §. XXI.) *inquit*: » *Il » temerario, che osa con tanta insolenza impugnar l'esi- » stenza di Dio, non pensa già che non ci sia; ma il » bramerebbe per vivere più tranquillo nei suoi eccessi. » Un reo non ama il Giudice che dee condannarlo, » ma il vorrebbe annihilato.* Non ci è un Dio: *questa » orrenda bestemmia, non è un errore della sua mente » ma bensì un desiderio del suo cuore* «.

proinde, et quæ in alio rationem sufficientem suæ existentiæ habent; Ergò sine Ente necessario existere nequeunt. Prob. consa. Si Entia contingentia existere possent absque Ente necessario, vel a casu, vel a nihilo, vel a seipsis, vel ab alio Ente contingente, existentiam quam habent, recepissent; Atqui a casu non receperunt, quia casus est effectus sine causa efficiente, quod repugnat; non a nihilo, quia nihil nullius rei caussa esse potest, quippe quod nullam sive actu, sive possibilitate essendi, atque existendi rationem sufficientem continere valet, omnique prorsus entis tam possibilis, quam existentis realitate destituitur: eamque propterea omnino impos est aliis impertiri; non a seipsis, quia nullus potest suimet esse caussa et effectus, quod est impossibile; non tandem ab alio ente contigente, quia istud aliud ens contingentes, nec existit, nec existere potest sine Ente necessario, ob allatas rationes; Ergo ab Ente a se, et necessario; scilicet a Deo; adeoque etc.

§. 7. Prob. 2. Quilibet effectus suam caussam necessario supponit, qui quanto præstantior est et nobilior, eo nobiliorem, atque præstantiorem caussam demonstrat; nam cum effectus rationem sui sufficientem in caussa habeat, non plus esse potest in eo, ac est in caussa. Quis namque videns horologium ex ære ex aurichalco, aut alio metallo miro artificio, atque industria elaboratum, non solum horas, et earum minuta exacte metiens, sed et dies, et varia anni tempora indigitans, nec non horarum pulsum, musicali concentu præcedere et sequi, non statim auctorem cogitabit, arte horologia efformandi mire callentem? Age jam. Video aspectabilem hanc Mundi machinam; atque in ea Cælum intueor, miro ac prorsus stupendo artificio efformatum, tot stellis, atque planetis pulchre nimis ornatum: Terram aspicio, et quid in ea mirabile spectatu non video? Video montes prominentes, imas valles, colles omœnos; florida

prata, flores innumeros, et herbas, variis usibus utilissimas, arbores, et plantas fructiferas varii generis; video animalia innumera, alia quadrupedia, alia reptilia, alia volatilia, alia amphibia et magnitudine, et varietate, et structura, et forma diversa; video mare, et in eo pisces et multitudine pene infinitos, et varietate, et forma, atque structura mirabiles. Video hominem inter cætera animantia insignem, anima, et corpore constantem; intellectu, memoria, et voluntate præditum, in omnibus suis partibus adeo mire, et affabre elaboratum, ut jure microcosmos, hoc est parvus Mundus, dicatur: Et haec omnia videns, quin aliud subjungam, quid dicam? A casu haec omnia producta sunt; a rudi materia, et inerti, a fortuito atomorum concursu! phreneticorum deliria essent istæ meæ assertiones. « Quis enim adeo rationis » expers, dicam cum Seneca (Lib. 1. q. natur.) » ut hoc, quo neque formosius quidquam, nec di» spositius, nec in proposito constantius existimet for» tuitum et casu volubile, et non a suprema ratione » ordinatum? Papæ! Sapientissimi, atque peritissimi artifices diebus, ac noctibus insudant in perficiendo aliquo opere; per menses et annos ipsi viri docti, nequidem profundissimis suis meditationibus, ac studiis, arcana quædam naturae penetrare possunt: Omnes potentissimi Reges, atque Imperatores, etiamsi simul convenirent, et accitis undique sapientissimis hominibus, apertis thesauris suis, toti occuparentur per annos, et sæcula, non possent unquam, aut parvulam herbæ plantulam, vel vilissimum animal de novo producere, et casus, et materia rudis, atque iners, intellectu, et sensu carens; et fortuitus athomorum concursus, tot, atque tam stupenda opera, ac hominem ipsum efformarunt! Quis credere poterit? Imo *nonne* (Lactantius Lib. I. de ira Dei Cap. X.) *prodigio simile est aut natum esse hominem qui hæc diceret, aut extitisse qui crederent?* Mundus

itaque *iste*, optime S. Augustinus (Lib. XI. de Civit. Dei Cap. IV.), *ordinatissima sua mutabilitate et visibilium omnium pulcherrima specie, quodammodo tacitus et factum se esse, et nonnisi a Deo ineffabiliter pulchro fieri se potuisse proclamat.* Unde David: *Cœli*, ait (Psal. 18. v. 1.), *enarrant gloriam Dei, et opera manuum ejus annuntiat firmamentum*; et omnes unanimiter exclamant (Psal. 99. v. 3.): *Scitote quoniam Dominus ipse est Deus: ipse fecit nos, et non ipsi nos.* Adeoque etc.

Adversariorum sophismata solvuntur.

§. 8. *Objic.* Illud nequit esse objectum demonstrationis, quod credere tenemur: Atqui tenemur credere Dei existentiam, dicente Apostolo (Hebr. XI. v. 6.): *Accedentem ad Deum, oportet credere quia est;* Ergo Dei existentia nequit esse objectum demonstrationis; Adeoque etc.

§. 9. R. admitt. maj., et dist. min. Atqui etc. uti est auctor gratiæ conc., uti est auctor naturæ., subdist., tenemur credere solum Dei existentiam, n., possumus eam per demonstrationem quoque cognoscere, et scire, conc: min; Ergo etc. nego utramq. consm. Dupliciter Deus considerari potest a nobis; nempe ut auctor gratiæ, et ut auctor naturæ. Ut auctor est gratiæ, certe ejus existentia solius fidei, non vero etiam demonstrationis objectum esse potest. Ut autem auctor naturae est, optime potest esse objectum demonstrationis. Nam, *quid potest esse tam apertum*, scribit Minutius Fælix (In Octavio.), *tam confessum, tamque perspicuum cum oculos in Cœlum sustuleris, et quæ sunt infra, citraque lustraveris, quam esse aliquod Numen præstantissimæ mentis, quo omnis natura inspiretur, moveatur, alatur, gubernetur?*

§. 10. *Contra.* Atqui Deus etiam uti auctor na-

turæ, non demonstrationis, sed fidei solius est objectum; Ergo n. r. Prob: subsm. Deus ut auctor naturæ est Deus inspectus ut Cæli, et Terræ creator; Atqui principalis fidei articulus, qui nobis ad credendum in Symbolo proponitur, est, ut credamus » in Deum . . . creatorem Cœli, et Terræ; Ergo etc.

§. 11. R. dist. min: et laudato in articulo Symboli nobis credenda proponitur simpliciter Dei existentia, uti auctor est naturæ, n. min:, secus, n. minorem, et consm. In Apostolorum Symbolo non proponitur nobis ut credamus simpliciter existentiam Dei auctoris naturæ; sed Deum unicum in substantia, Trinum in Personis, cujus Prima persona, nempe Pater, sua omnipotenti virtute, omnia ex nihilo condidit; Cælum nempe, et Terram, et omnia quæ Cæli, et Terrae ambitu continentur creavit; quae quidem humanae rationis captum superant, et solum fide divina credi debent. Revera, quod Deus existat, ratione naturali evidenter convincitur, et omnes homines, ut ajebat S. Job (Cap: 36.); *vident eum*, non solum in seipsis, sed et in aliis rebus creatis. Quod vero Deus sit unicus, et nullus alius sit praeter ipsum; Quodque in unitate naturae sit etiam in Deo pluralitas Personarum, quarum prima nempe Pater Mundum creaverit, id certe humana demonstratione assequi nequit; quare, ut ea crederent, Apostoli in Symbolo fidelibus proposuere.

§. 12. *Contra.* Atqui Dei existentia absolute fidei est objectum, et non demonstrationis; Ergo n. r. Prob: subsm. Deus est ens infinitum, omnes complectens perfectiones; Sed Ens hujusmodi nequit ab homine finitae perfectionis cognosci; Ergo etc.

§. 13. R. dist: min: Ens hujusmodi etc: cognosci quid in se vere, et proprie sit, conc: min: Quod sit, hoc est quod existat: n. min; Ergo etc. n. consm. Cum homo sit mentis finitae, Deus autem Ens infinitum, istius proinde naturam, atque essen-

tiam illius cogitationibus cognoscere, impossibile prorsus est. At quod ejusmodi Ens existat, sane naturali lumine adeo certum est, ut summam delicti dixerit Tertullianus (Apol: 17.) « nolentium recognoscere, quem ignorare non possunt » Hinc apposite S. Augustinus (in Psal. 74.) « Deus ubique, » ait, secretus est (quoad essentiam), ubiqne publicus (quoad existentiam), quem nulli licet uti est » cognoscere, et quem nemo permittitur ignorare ».

§. 14. *Objic.* 2. Deus est Ens a se, et necessarium; sed Entis a se et necessarii existentia demonstrari nequit; Ergo etc.

§. 15. R. conc. maj. dist. min. Sed etc. a priori, conc. a posteriori, nego min., et consm. Duplex ast Demonstratio, *a priori*, ut ajunt, et a *posteriori*. Prima est illa, qua effectus per caussam demonstratur; secunda est illa, qua caussa per effectum ostenditur. Cum ergo Deus sit a se, nec ullam caussam se anteriorem, aut sui productricem agnoscat, imo ipse sit omnium aliarum caussarum prima caussa, profecto ejus existentia a priori demonstrari nequit; At quoniam omnia quae in Mundo sunt, effectus sunt, et quidem Entis necessarii (§. 7.), peroptime ex eorum existentia, Dei existentia demonstratur.

§. 16. *Contra.* Atqui nec etiam a posteriori Dei existentia demonstrari potest; Ergo n. r. Prob. subsm. Ut a posteriori Dei existentia demonstrari posset, inter Deum et res hujus Mundi deberet esse aliqua relatio; Atqui nulla datur hujusmodi relatio; Nam Deus, et hujus Mundi res, infinito intervallo a se invicem distant; quippe Deus est Ens a se, aliae vero res sunt contingentes, et ab alio, ut supponitur; Ergo etc.

§. 17. R. Falsum omnino est inter Deum, et res hujus Mundi nullam dari relationem. Cum namque effectus sine causa effectrice esse nequeant, opera

sine artifice, creatuae absque Creatore; profecto cum res hujus Mundi sint effectus, opera, et creaturae, relationem habent cum Deo, caussa, artifice, et creatore earum. Sicuti ergo videntes palatium ex. gr., optime fabrefactum noscimus eum habuisse architectum, atque opificem; ita res hujus Mundi aspicientes, Deum auctorem esse debere cognoscimus. Nam, ut optime Trismegistus (In Pimandro.): *Cum statuam absque fabro et pictore fieri nullus asserere audeat, miram hujus Mundi constitutionem sine conditore constitisse putabimus?*

§. 18. *Contra.* Atqui nullimode a rebus creatis Dei existentia demonstrari potest; Ergo a capite argm. Prob: subsm. Si Dei existentia ex creatis rebus hauriri posset, gentes omnes, antequam in fide a Missionariis instruerentur, Deum existere cognovissent; Sed multae gentes a Missionariis inventae sunt, quae nullum colebant, nec cognoscebant Deum; Ergo etc.

§. 19. R. distin: min: nullum cognoscebant Deum clare, atque distincte, conc: obscure et confuse, n. min; Ergo etc:, n. consm. Verum est, nonnullas a Missionariis inventas fuisse gentes, nimis confusam de Deo habentes notitiam; at eas, omni prorsus Dei cognitione carere, falsum omnino est. Nam, uti testatur S. Hieronymus (Epist: 3. ad Nep.) « Persa, Gothus, Ægyptius ipsum cognoscunt, Bessorum feritas, et Pellitorum turba populorum stridorem suum in dulce nominis ejus fregrunt melos, » et totius Mundi una vox est, *Deus est.* Quod et » Tullius ipse jam disertis verbis adfirmaverat (1. » de Leg.); dicens »: De hominibus nulla gens est » neque tam immansueta, neque tam ferrea, quae » non etiamsi qualem Deum habere deceat, ignoret, » tamen habendum sciat (1) ».

(1) *De Dei existentia omnes Recentiores Philophi Catholici pertractant. Inter Theologos audiantu*

PROPOSITIO II.

Deum esse substantiam spiritualem, omnes possibiles perfectiones habentem, optime demonstratur.

§. 19. Ostenditur 1. pars ex Scripturis. Apud S. Joanneu (Cap. IV. 24.) sic ait Christus Dominus: *Spiritus est Deus: et eos, qui adorant eum. in spiritu, et veritate oportet adorare.* S. Paulus quoque ad Corinthios scribens (Epist II. Cap. III. v. 17.), inquit: *Dominus autem spiritus est.* Ergo etc.

§. 20. Probatur 2. eadem pars. Deus est immensus, et ubique praesens, ac omnia implens; unde et dixit (Jeremiæ XXIII. v. 24.): *Cœlum et terram ego impleo*: Si ergo esset corporeus, totum spatium mundanum occuparet, nec aliud ens corporeum, quam ipse solus, existeret; atqui innumera alia entia corporea existunt; Ergo etc. Deinde si Deus esset corporeus, oculis corporis videri posset; sed *ipsum nullus hominum vidit* (I. ad Timot. I. v. 17.); *sed nec videre potest;* Ergo etc.

§. 21. Probatur 3. ratione. Deus est Ens a se (§. 2.); sed ens a se nequit esse corporeum; Ergo etc. Prob. min. Ens compositum partibus constat, quae aliter, atque aliter disponi possunt; augeri atque minui; solvi ab invicem, atque corrumpi, ens propterea mutabile, finitum, atque contingens; Atqui Ens a se est necessarium (§. eod.), qui mutari nequit, aut corrumpi; Ergo etc.; Adeoque etc.

Claudius Frassen *Tomo I.* Scotus Accademicus *Tract. I.* Tournely *Tomo I.* Antoinè *Tomo I.* Theologia universa *pag.* 160. Juvenin Instit. Theolog. *Tomo II.*, Gregorius Simon *Tract. de Religione Parte I. q.* 1. *art.* 1. Cerboni *Tomo I. Teolog. Natur. Lib. I. q.* 2. Bibliotheca Theolog. *Tomo V. P. I. Sect. 6.*

Ulterius Deus est Mundi hujus creator, atque architectus; Ergo nequit esse corporeus. Prob. consa: Hic Mundus est admirabile opus, quod summam sapientiam, potentiam, atque virtutem supponit (§. 7.); Atqui ens corporeum sapientia, atque virtute destituitur, estque omnino incapax cogitationis, et indifferens ad motum, atque quietem, ut vel ipsi Philosophi clarissime ostendunt; Ergo etc. Adeoque etc.

§. 22. Prob. II. pars. Deus est fons et origo omnium perfectionum: *Ex ipso* enim, ait Apostolus (Roman. XI. v. 36.), *per ipsum, et in ipso sunt omnia*; et ab eo omne bonum in homines derivatur, juxta illud D. Jacobi (Cap. I. v. 17.): *Omne datum optimum, et omne donum perfectum desursum est; descendens a Patre luminum*; Atqui talis non esset si omnes perfectiones possibiles non haberet; Ergo etc. Deinde si omnes perfectiones Deo non inessent, posset excogitari Ens Deo melius, atque perfectius; Atqui ex D. Augustino (Lib. I. de Doct. Christ. Cap. VII.): *cum ille unus cogitatur Deorum Deus . . . . ita cogitatur, ut aliquid, quo nihil melius sit atque sublimius . . . . nec quisquam inveniri potest, qui hoc Deum credat esse, quo melius aliquid est*; Ergo etc.

Objecta solvuntur.

§. 23. *Objic.* contra 1. partem Prop. In Sacris literis Deo corporea membra tribuuntur; Ergo Deus substantia spiritualis non est.

§. 24. R. dist. ans. In Sacris literis etc. in sensu improprio, et metaphorico, concedo; in sensu proprio et literali, nego ans, et consm. Quoties Sacris in literis Deo humana membra tribui legimus, non ita accipere debemus, quasi ea ipse revera habeat, sed in sensu metaphorico. *Sic cum audimus manus*, ait S. Augustinus (Epist. 148. alias 111.

ad Fortunatianum.), *operationem intelligere debemus; et cum audimus pedes, præsentationem; et cum audimus oculos, visionem qua cognoscit; et cum audimus faciem, notitiam, qua innotescit; et si quid aliud eadem Scriptura tale commemorat, puto spiritaliter intelligendum*; Adeoque etc. (1).

§. 25. *Contra*. Atqui Sacris in literis non in sensu metaphorico, sed proprio, et literali, Deo humana membra tribuuntur; Ergo n. r. Prob. subsmo Deus fecit hominem ad imaginem suam; Sed hom. habet corpus; Ergo et Deus; Adeoque etc.

§. 25. R. disting. maj. Deus etc. quoad omnia, nego maj., quoad aliquid, concedo; et conc. min., neg. consm. Homo anima et corpore constat; Cum ergo dicitur ad imaginem, et similitudinem Dei factus, sensus est, eum quoad animam, non etiam quod corpus, talem esse. Nam *Invisibilis Dei imago*, ait S. Ambrosius (In Psal. 118.), *non in eo est quod videtur, sed in eo utique quod non videtur . . . . . Alii enim imaginem istam collocant in animæ spiritualitate, qua ad Deum quadantenus accedit; alii in tribus ejus facultatibus, mente memoria et voluntate, quibus Sanctam Trinitatem videtur exprimere*; Adeoque etc.

§. 26. *Contra*. Atqui homo ad imaginem, et similitudinem Dei factus est, etiam quoad corpus; Ergo n. r. Prob: subsm. Sicuti Genesis Capite I. de Deo creatore legitur: *faciamus hominem ad imaginem, et similitudinem nostram*; ita Genesis V. de Adamo generante dicitur: *et genuit ad imaginem, et similitudinem suam, vocavitque nomen ejus Seth*; Atqui Adam genuit Seth ad imaginem suam non so-

(1) *Legatur Summa S. Hieronymi de Essentia, etc. Dei apud D. Bonaventuram Tomo II. Opuscul. pag. 597.*

lum quoad animam, sed etiam quoad Corpus; Ergo etc.

§. 27. R. dist: maj: Et eodem modo accipienda est Adæ productio a Deo, ac illa Seth ab Adamo; nego; diversissimo, conc: min; et n. consm. Cum Adam de sua substantia generasset tam Seth, quam alios filios, optime dicitur, illos ab eo genitos, ad imaginem et similitudinem suam, etiam quoad corpus, fuisse genitos. Cum vero Deus non de sua substantia, sed de limo terræ Adæ corpus efformasset, imago et similitudo ipsius in Adamo, nullo modo esse poterat quoad corpus, sed solummodo quoad animam.

§. 28. *Objc*: contra 2. p. In Deo sunt affectus inordinati; Sed inordinati affectus sunt imperfectiones; Ergo in Deo sunt imperfectiones. Prob: maj: In Deo est ira, uti patet ex pluribus Sacrae Scripturae locis; Sed ira est affectus inordinatus; Ergo etc.

§. 29. R. dist, maj: In Deo est ira sicuti est in homine n. maj:, secus conc:, et dist. min: ira est affectus inordinatus in homine per culpam leso, conc:, in Deo, nego min: cum consa. Ira in Deo non eadem est ac illa, quae in hominibus reperitur; appetitus nempe inordinatus ulciscendi se de inimicis; unde et defectus, et imperfectio, et peccatum est; sed » nihil est aliud, ait S. Augustinus (lib: XIII. de » Trin: c. 16.), quam justa vindicta. Non namque » sicut hominis animi perturbatio est ira Dei, sed » illius ira est cui dixit alio loco Sancta Scriptura (Cap: XII.): *Tu autem Domine virtutum cum tranquillitate judicas.* Non est itaque ira in Deo imperfectio, sed potius perfectio; Adeoque.

§. 30. *Contra*. Atqui ira in Deo etiam est cum animi perturbatione, sicut est in homine; Ergo est imperfectio; adeoque etc. Prob: subsm. Quod passim faciunt homines iracundi in actu, quo ira abripiuntur, id etiam fecit Deus: illi volentes de inimicis vindictam sumere, quandoque damna inferunt inno-

centibus; Hoc etiam Deum fecisse Scripturæ testantur, præsertim quando ob hominum peccata iratus, Mundum aquis diluvii inundavit. Quid enim tot animalia peccarunt, ut diluvio penitus perierint? Quid mali egerant tot innocentes puerli, qui nondum rationis usum erant adepti, ut simul cum parentibus ab aquis vehementibus absorberentur? Ergo etc.

§. 31. R. distin: antec: et ex eodem motivo operatur Deus, dum adversus homines iratus damna infert innocentibus, n. antec:, diverso; conc: antec: et n. consm. Cum homines ira frementes, limites quandoque vindictæ excedunt, et inimicis, æque ac innocentibus damna inferunt, id evenit, quia ira perturbatus animus, et recta ratio obtenebrata, illos excæcant, ut non videant quid agant; neque videant cui, vel quale malum inferant. Deus autem non sic. Cum namque ipse sit rectus judex, et justus, qui non odio aut prava voluntate, sed ex sua justitia ad iracundiam, hoc est ad ulciscendum se moveat, quidquid iratus agit, summa justitia, atque virtute agit. Nihil sane fecerant animalia irrationabilia ante diluvium, et tamen diluvio perierunt. Numquid hoc fuit a Deo factum inconsiderate et animo propter iram perturbato? Absit: sed quia, ait S. Ambrosius (lib: de Noè, et Arca) « propter hominem illa facta erant, » ut eo utique deleto, propter quem facta sunt, con» sequens erat, ut illa etiam delerentur, quia non erat, » qui his uteretur ». Nihil certe mali egerant tot millia infantium, et parvulorum, qui nondum rationis usum habuerant? Et tamen aquis diluvii cum eorum parentibus consumpti fuerunt. Unde id? ex animo Dei ira vehementer perturbato? Haud certe. Sed ex justa vindicta de peccatis parentum illorum, (Exodi XX. v. 5.): *Visitans* nempe *iniquitatem Patrum in filios*. Nisi etiam dicere velimus, Deum illos rapuisse ne malitia immutaret intellectum eorum, et aliquando paternae iniquitatis imitatores fuissent. Ita Tertullianus

(Lib. IV. adv. Marcion. C. 4.).
» In cataclysmo enecans pariter cum prole parentes.
» Sed non cum patribus pœnas obnoxius infans,
» Perpetuas luit, ignarus, neque criminis author.
» Ne fieret sceleris consors aetatis [illegible]ae,
» Sponte, futura mala mors immatura resolvit.

§. 32. *Contra.* Atqui ea quæ tunc egit Deus, ex animi perturbatione fecit; Ergo n. r. Prob: subm: Si ex recto et æquo judicio, et sine animi proturbatione Deus supradicta fecisset, placatus ac fuit ab ira, non ei displicuisset, se ea fecisse, neque jurasset se amplius in posterum ea non facturum; Atqui et fecisse talia displicuit, et Noè promisit se tale diluvium non amplius missurum super terram; Ergo etc.

§. 33. R. dist: maj:, quasi male se gessisset in illis faciendis conc:; secus nego maj. et dist: displicuit, quasi male, et inprudenter se gessisset, n: min:, secus, conc:, ergo etc, n. consm. Cum exsiccatis aquis diluvii, placataque ira Dei, hoc est, expleta justa vindicta, dicat Scriptura, Deo displicuisse, tam ingentem et hominum, et jumentorum multitudinem aquis diluvii fuisse extinctam, id non ita intelligendum est, quasi illud, quod fecerat Deus fuisset ab eo factum praecipianter, absque consilio, injuste, et in perturbatione animi: hinc male, atque temere; sed quod satisfacta per illud supplicium divina justitia, voluit Deus dare locum misericordiae. Nam Deus, ait Dionisius Carthusianus (apud la Haye T. 1. in Gen: c. 8. v. 21. n: 192.) » interdum ostendit rigorem suæ justitiæ, interdum vero » dulcorem suæ clementiæ secundum beneplacitum, » et ordinem imperscrutabilis, atque immensæ sapientiae suæ, omnia etenim facit, ut sua perfectio in » rebus resplendeat ».

CAPUT II.

De unitate Dei.

§. 34. *Animad.* Qui plures Deos admittunt, atque venerantur, dicuntur Polythei.

§. 35. *Coroll.* Polythei ergo, in primis, fuerunt Gentiles omnes, atque Idololatræ, quorum, ante Christi adventum, infinitus fere erat numerus (1). Hi namque nedum plures Deos admittebant, et venerabantur, *novos* (Tertullianus Cap. X. Apolog.), *veteres*, *barbaros*, *Græcos*, *Romanos*, *peregrinos*, *captivos*, *proprios*, *communes*, *masculos*, *feminas*, *rusticos*, *urbanos*, *nauticos*, *militares*, *etc.*; sed et vilia animalia, et monstra horrenda, quinimo et porros, et cæpas ut Deos habuerunt, atque sunt venerati (2). Adveniente autem Jesu Christo, esto Dæmon hujus Mundi princeps foras ejectus fuerit, Idolorum Templa diruta, aræ confractæ, simulacra Gentium eversa, et in pulverem redacta, et per totum Orbem

---

(1) De Idololatriae origine haec habet Auctor Libri Sapientiae Cap. XIV. *v.* 15. *Acerbo luctu dolens pater, cito sibi rapti filii fecit imaginem: et illum, qui tunc quasi homo mortuus fuerat, nunc tamquam Deum colere coepit, et constituit inter servos suos sacra, et sacrificia. Deinde interveniente tempore, convalescente iniqua consuetudine, hic error tamquam lex custoditus est, et Tyrannorum imperio colebantur figmenta etc.* vid. Calmet *Tomo I. Dissert. in Lib. Sap.* Bergier *V.* Idolatria.

(2) Lepide Juvenalis *Satyra* 15.
» Quis nescit Volusi Bitynice, qualia demens
» Ægyptus portenta colat? Crocodylon adorat, . .
» Porrum et caepe nefas violare ac frangere morsu.
» O Sanctas gentes! quibus haec nascuntur in hortis
» Numina . . . .

lux Evangelica splendescens, caecitatis tenebras expulerit; adhuc tamen in vastissimis Japoniae, et Sinarum Imperiis Idololatrae inveniuntur (1).

§. 36. *Schol.* Præter autem Gentiles, non pauci inter Christianos, plures Deos admittere non sunt veriti. Ita Gnosticici, teste S. Augustino (Libro de Hæresibus Cap. X. et XXIII.), et Apellitæ duos Deos esse dixerunt, unum nempe bonum, et alterum malum. Ita Marcionitæ, qui ex S. Epiphanio (Lib. I. contra Hæres. Cap. XLII.), tres admittebant Deos, visibilem nempe, invisibilem, et medium. Ita Manichæi, qui duo rerum admittebant Principia opposita; unum quidem bonum et boni auctorem; alterum malum, et mali caussam. Verum contra hos, aliosque (2) pugnat Catholica fides, necnon et ipsa humana ratio.

PROPOSITIO

Deus est Unicus.

§. 37. Prob. 1. adversus Haereticos ex Scripturis. In Deuteronomio (Cap. VI. v. 4.) ita legitur: *Audi Israel: Dominus Deus noster, Dominus unus est*; et alibi (Cap. XXXII. v. 39.) Dominus ipse per Moysen sic Israelitis loquitur: *Videte quod ego sim solus, et non sit alius Deus præter me.* Quare merito David (Psal. 17.) canebat: *Quis Deus præter Deum nostrum?* atque ad Deum conversus exclamavit (Psal. 82.): *Tu solus Altissimus in omni terra. Magnus es tu* (Psal. 85.), *et faciens mirabilia*,

(1) Salomon *Stato presente di tutti i Popoli del Mondo. Tomo I. II. III. etc.*

(2) *Vid.* Gener *Tom. II. Tract.* 1. *Lib. I. Cap. I. Sect.* 2. Tournely *Tomo I. q.* 1. *art.* 4.

tu es Deus solus. Apud Joannem ait Christus (Cap. XVII.): *Hæc est vita æterna, ut cognoscant te solum Deum verum.* Tandem S. Paulus ad Corinthios scribens, ait (Epist. I. Cap. VIII. v. 4.): *Scimus quia nihil est Idolum in Mundo, et quod nullus est Deus, nisi unus.* Unde et in Apostolorum Symbolo tenemur credere *in unum Deum.* Igitur etc.

§. 38. Prob. 2. contra eosdem, ratione. Deus est Ens, quo nihil melius, atque perfectius excogitari potest (§. 22. Prob. 2. p.); Sed malum Principium bonitate, atque perfectione destituitur; Ergo Deus non est; Adeoque non datur nisi unus Deus. Deinde si duo essent opposita Principia, vel essent ista inter se se æqualis virtutis, atque potentiæ, vel non; Si primum, jam nulli effectus neque boni, neque mali essent in Mundo; nam cum quodlibet ad propriam satisfaciendam inclinationem continuo duceretur, nulli effectus boni fierent, quia, ne fiant, vim æqualem Principium malum bono Principio opponeret; sicuti nulli effectus mali sortirentur, quia bonum Principium vim æqualem malo Principio objiceret (1); Si secundum, jam qui minorem habet virtutem, atque potentiam, Deus non est, quia Ens non est undequaque perfectum; adeoque unicus tantum est Deus.

§. 39. Prob. 3. adversus Gentiles. Ac primo quidem, aut unus Deus ad Mundum regendum, eique consulendum in omnibus est sufficiens, vel non: Si est sufficiens, alter Deus erit superfluus, atque otiosus; si non est sufficiens, neuter eorum erit Deus. Hinc apposite Lactantius (Lib. I. Inst. div: c. 3.) « Nemo est, inquit, qui si quidem sapiat, » rationemque secum putet, non unum esse intel-

(1) *Vid.* Simon *De Relig. Art. II. Concl.* 3. *coroll.* 2. *prob.* 2.



» ligat, qui et condiderit omnia, et qua condidit vir-
» tute moderetur. Quid enim multis opus est ad
» Mundi regimen sustinendum? Nisi forte arbitre-
» mur, si plures sint, minus habere singulos ner-
» vorum, atque virium. Quod quidem faciunt ii,
» qui multos esse volunt; quia necesse est imbecil-
» les esse, siquidem singuli, sine auxilio reliquo-
» rum; tantæ molis gubernaculum sustinere non
» possent. Deus autem, qui est æterna mens ex
» omni utique parte perfectae, consummataeque vir-
» tutis est. » Tandem Dii quos colebant Gentiles
erant opera manuum hominum, nec repræsentabant
nisi aut animalia, aut homines, quibus Divinitas re-
pugnat, cum sint creaturæ; Ergo etc. Sed et hoc ipsum
Gentiles iidem fassi sunt: « Audio Vulgus, inquit Mi-
nucius Felix (in Octavio) » cum ad Cælum manus
» tendunt, nihil aliud, quam Deum dicunt: et Deus
» magnus est: et Deus verus est: et si Deus velit.
Quod confirmat Lactantius (Lib: II. Cap. 1.): Nam,
» ait, et cum jurant, et cum optant, et cum gratias
» agunt, non Jovem, aut Deos multos, sed Deum
» nominant, adeo ipsa veritas, cogente natura, etiam
» ab invitis pectoribus erumpit ». Idipsum fassi sunt
plures ex antiquis Philosophis, atque Poetis, inter
quos Orpheus ita cecinit.

» Unicus est per se existens, qui cuncta creavit,
» Inque his ipse extat: nulli e mortalibus unquam
» Lumine, conspectus, mortales conspicit omnes. Nec
minus clare se expressit Sophocles, sequentibus ver-
sibus:

» Unus profecto est; unus est tantum Deus:
» Qui Cœlum, et amplum condidit Terræ globum,
» Marisque fluctus, vimque ventorum gravem.

Adversariorum sophismata exsufflantur.

§. 40. Ad hominem efformandum plures Dii simul convenerunt; legitur quippe in Genesi (Cap. I. v. 26.): *faciamus hominem ad imaginem, et similitudinem nostram*; Ergo plures dantur Dii.

§. 41. R. Falsissimum omnino est, in hominis creatione plures convenisse Deos; Nam ille Deus unicus, qui semper in numero singulari in dicto Genesis capite nominatur, atque rerum aliarum creatarum est auctor; veluti cum dicitur: *In principio creavit Deus Cœlum, et Terram*: *Fecit Deus firmamentum. Creavit Deus cetegrandia*, etc, unicus quoque dicitur hominis creator; legitur namque (v. 27.): *Et creavit Deus hominem ad imaginem suam; ad imaginem Dei creavit illum.* Quod si laudato in loco, dicat: *faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram*, verbum illud *faciamus*, de Trinitate personarum in Deo intelligendum est, ad cujus imaginem factus est homo, non de pluralitate Deorum: audiatur S. Augustinus (Lib: de Gen: ad lit., imperf.) » Ideo non dictum intelligamus singulariter, sed pluraliter, *faciamus hominem ad imaginem, et similitudinem nostram*, quia non ad solius Patris, aut solius Filii, aut solius Spiritus Sancti, sed ad ipsius Trinitatis imaginem factus est homo; quæ Trinitas ita est Trinitas, ut unus Deus sit: ita est unus Deus, ut Trinitas sit. » Adeoque etc.

§. 42. *Contra.* Atqui ex Scripturis satis abunde patet, plures esse Deos; Ergo n. r. Prob: subsm: Psalmo 81. ait Psalmista: *Deus stetit in Synagoga Deorum*; Ergo ex Scripturis etc.

§. 43. R. dist: antec: Et ibi Deorum nomine intelligit Psalmista, Deos proprie dictos, n. antec; improprie, conc: antec:, et n. consm. Cum David Propheta ubique in suis Psalmis confiteatur, atque prædicet, omnes Deos gentium esse dæmonia, verum

autem Deum, qui omnia ex nihilo condidit, unicum esse, atque solum, dicendo quod *Deus stetit in Synagoga Deorum*, absit, ut intelligamus Deos gentium, sive idola, sive aliquam præter homines cælestem, terrestremque creaturam; sed intelligamus homines ab ipso Deo judices constibutos, et ministros, qui suo nomine congregati, recte judicant, et justitiam administrant, et suas vices gerunt, et justa decernunt: qui ex officio, quod exercent, Dii vocantur, et filii excelsi: *Ego dixi dii estis et filii excelsi omnes* (ib: v. 6.): de facto, ut de illis, et non de aliis loqui videretur, illos ipsos, quos vocavit Deos, homines morti obnoxios dixit: En verba (Ps: eodem n. 6.): *Vos autem sicut homines moriemini*, ostendens, illos esse Deos gratia, et potestate, humanitate vero, et natura homines, sicut et cæteri. Adeoque.

§. 44. *Contra.* Atqui plures Deos non solum gratia, et potestate, sed natura, et subsantia, satis abunde declarat Scriptura; Ergo a capite argum: Prob: subsm. In Mundo snnt bona et mala; sed hæc ab eodem principio oriri nequeunt; Ergo bona a bono principio, malo vero a malo principio derivantur; Adeoque non unus, sed plures etc.

§. 45. R. conc: maj:, dist: min: Sed etc: culpæ, conc:; mala pænae, n: min: Ergo etc. utramque consequentiam. Mala culpæ cum vel [illegible]ctum, vel malitiam, vel ignorantiam in ea operante ponant, effectus nullimode esse possunt Dei, entis [illegible]pe perfectissimi. Non sic autem mala quæ dicuntur [illegible]nae, veluti morbi, dolores, afflictiones, et alia hu[illegible] generis; hæc namque a Deo, et quidem summo b[illegible] [illegible]mmittuntur, secundum beneplacitum voluntatis su[illegible] sive ad manifestandam suam justitiam; sive ad exe[illegible]citium vitæ Christianæ, ut nempe Christo passo in ca[illegible]ne, eadem cogitatione armati, sequamur vestigia ejus Hinc ipsemet Deus apud Isaiam (Cap. XLV. v. 7.):

Ego Dominus, ait, et non est alter formans lucem, et creans tenebras, faciens pacem, et creans malum: Ego dominus. Ex quo itaque in Mundo bona, et mala observantur, non sequitur duo esse principia; unum, a quo bona, alterum a quo mala derivantur.

§. 46. *Obijc*: II. In Deo sunt plures personae realiter distinctæ; Ergo et plures Dii. Prob: consa. Si in Deo sunt plures personæ realiter distinctæ, jam unaquæque persona est distincta, atque divisa ab alia; Atqui unaquæque Persona est Deus; Ergo si in Deo sunt etc:, erunt quoque plures Dii.

§. 47. R. dist: sequelam majoris; Iam unaquæque persona est distincta personalitate, conc: maj: substantia, n. maj:, et conc: min:, nego consm: Pluralitas Deorum non debet oriri ex distinctione personarum, sed ex pluralitate naturæ, atque substantiæ. Cum ergo in Deo plures personæ ad invicem distinguantur, eadem permanente unica Divina natura, atque substantia in illis omnibus; propterea licet sint in Deo tres personæ distinctæ, tamen tres non sunt Dii, quia non multiplicatur natura.

§. 48. *Contra.* Atqui multiplicata in Divinis ratione personalitatis, multiplicatur quoque ratio naturæ, atque substantiæ; Ergo n. r. Prob: subsm. Personalitas in divinis est quidem positiva; Ergo est vera perfectio; Atqui, subsumo, tres sunt hujusmodi personalitates, et quidem distinctae; ergò erunt quoque tres verae perfectiones, seu entitates, et quidem distinctae, et consequenter etc.

§. 49. R. dist: 1. cons.; Ergo est vera perfectio, et aliunde quidquid perfectionis est in personis, totum illud profluit ab essentia, seu natura Divina, et ab hac est indistinctum, conc:, secus, n. sequelam maj; et concessa min:, nego ceteras consequentias. Personalitates in Divinis nihil aliud directe præstant, nisi exprimere respectum, seu relationem ad illam personam; Sed quiquid ipsi est perfectionis,

cum profluat ab unica indistincta earum natura, ideo tres subsistentiæ non efficiunt tres perfectiones, sive entitates numero distinctas, sed unam dumtaxat entitatem, seu naturam et essentiam Divinam, quæ est perfectissima fons, et origo omnium perfectionum.

§. 50. *Contra.* Atqui quidquid perfectionis est in persona, est ab ipsa persona, non vero a natura; Ergo n. r. Prob: subsm. Persona, juxta communem definitionem, *est rationalis naturæ individua substantia*; Ergo cum quælibet persona sit individua substantia, quidquid in ipsa est perfectionis, est a se.

§. 51. R. explicando definitionem cum distinctione. Persona dicitur etc:, ita ut ratione substantiæ intelligatur directe, expresse modus, et determinatio subsistentiæ seu naturæ; hoc est ipsa subsistentia, et personalitas, conc; ita ut nomine subsistentiae intelligatur natura et essentia, n. antec:, et consm. In definitione personæ vox substantia primario, et directe significat subsistentiam, et personalitatem, unde dicitur individua substantia, hoc est incommunicabilis alteri tamquam supposito; non vero significat, nisi indirecte, et secundario ipsam naturam, et essentiam. Ex quo quidem recte colligitur, tres esse in Deo distinctas personas, quia tres sunt distincti subsistendi modi, seu tres subsistentiae, et personalitates, sed non sequitur tres esse Deos; quia una est numero in tribus personis natura, et essentia, (1).

(1) *Fusiori calamo de unitate Dei Doctrina apud Theologos nedum, verum, et apud Philosophos pertractata invenitur cum oppositis etiam argumentis. Si placet, legantur* Petavius T. I. Theol. Dogm: Lib: 1. Cap. III. Boucat *Tomo I. Dissert. II.* Tournely *Tomo I. q. 1. art. IV.* Gregorius Simon *Tract. ut supra etc.*

CAPUT III.

De Dei Essentia, Divinisque Attributis.

§. 52. *Def.* 1. *Nomine Essentiæ, generatim venit id, per quod res aliqua est id quod est. Essentia* itaque *Dei* recte *dici potest, id, per quod Deus est Deus, et non potius Ens aliud ab ipso diversum.*

§. 53. *Schol.* Quid porro sit id per quod Deus est Deus, seu quænam sit Essuntia Dei, aut in quo constituatur, nec perfecte intelligere, nec certo definire mortalibus est concessum. Nec mirum: cum et ipsi Cælites eam perfecte, atque comprehensive non cognoscant. Revelatione tamen, ac ratione, incompletam tantum, atque inperfectam de ea habere possumus cognitionem in præsenti vita; idque duplici modo, vel nempe negatione, a Deo auferendo quod ei non convenit; unde Augustinus (In Psal. 58. n. 12.): « Deus ineffabilis est, facilius dicimus quid non sit, » quam quid sit. Terram cogitas? non est hoc Deus. » Mare cogitas? non est hoc Deus . . . . haec solum » potui dicere quid non sit. Quaeris quid sit? Quod » oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor ho» minis ascendit »; vel affimatione, ei tribuendo, quod, omnibus imperfectionibus ablatis, convenit. Hoc modo « Deum dicimus cum eodem S. Doctore » (Serm. 384. de Trin.) sine qualitate bonum, sine » quantitate magnum, sine indigentia Creatorem, » sine situ praesidentem, sine habitu omnia conti» nentem, sine loco ubique totum, sine tempore sem» piternum, sine ulla sui mutatione mutabilia facien» tem, nihilque patientem. Cum ergo nonnisi imperfectam de Dei essentia habere possimus cognitionem, hinc in ea assignanda.

Variæ sunt Scholarum sententiæ.

§. 54. Prima est Nominalium, qui volunt, Dei Essentiam per actualem complexum omnium perfectionum ipsius constitui. Secunda est quorundam Scotistarum dicentium, eam esse infinitatem radicalem, exigentiam nempe omnium perfectionum (1). Tertia est plurium Thomistarum, qui tuentur, eam positam esse in intellectione. Quarta tandem, et fere communis inter Theologos, tenet Dei Escentiam in *Aseitate*, seu in *esse a se*, totam consistere. Salva fide, omnes hae sententiae tueri possunt; at quænam ex illis praeferenda, mox videbimus.

§. 55. *Def.* 2. *Attributum Divinum*, juxta Theologorum mentem, nihil est aliud, *quam perfectio simpliciter simplex, absolute ac necessario de Deo prædicabilis per modum formæ adjacentis.*

§. 56. *Def.* 3. *Perfectio autem simpliciter simplex est ea, quae melior est ipsa, quam non ipsa: hoc est, quae enti cuilibet, quatenus est ens, melius est habere, quam non habere.*

§. 57. *Schol.* Attributa Divina duplicis sunt generis, *negativa* nempe, et *positiva.* Attributa negativa sunt illa, quae omnem imperfectionem a Deo removent, ut est *Infinitas, Immensitas* etc. Positiva autem sunt illa, quae perfectionem de Deo affirmant, ut *bonitas, justitia etc.*

PROPOSITIO I.

Esse Èns a se *est Attributum in Deo primum.*

§. 58. Prob. Nam illud Attributum potest dici in Deo primum, quod primo, juxta nostrum conci-

(1) *Videatur* Frassen *Tomo I. Tract. I. disp.* 2. *art.* 3. *q.* 2.

piendi modum, Deum cogitanti, primò se offert; quod 2. est Deo ita proprium, ut aliis communicari sit omnino impossibile; quodque 3. aliorum omnium Dei attributorum radix est; Atqui *esse a se* est hujusmodi; ergo etc. Prob. min. quoad singulas partes.

Ac 1. quidem *esse a se* est primum; et praecipuum attributum, quod in Deo concipimus; nihil namque prius esse potest Ente a se. Nam si quid esset prius, foret certe ipsum *esse* simpliciter; sed *esse* simpliciter in Deo non est prius *esse a se*, sed simul; quippe Dei existentia est absolute necessaria, et independens, et idem in eo est *esse*, ac *esse a se*; Ergo etc.

2. *Esse Ens a se* ita est Dei proprium, ut aliis rebus communicari ullo pacto nequeat; Nam Ens a se nullam caussam sui productricem agnoscit, quare si aliis communicari posset *esse a se*, communicaretur illi, quod tale non est; hoc ergo esset *Ens a se*, ut supponitur, et non esset, quia ab alio per communicationem esse a se habuisset; sed hoc repugnat; Ergo etc.

3. *Esse ens a se* est radix omnium Dei attributorum. Si namque quaeras, cur Deus sit omnipotens, sit immensus, infinitus etc.? nihil aliud respondebitur tibi, quam quia *Est Ens a se*; Nam *Ens a se* nullam caussam sui productricem agnoscit, nec proinde interitui subjectum est: *Ens a se* nullis limitibus continetur, estque ubique praesens, atque omnes omnino perfectiones in summo gradu possidet. Et « merito quidem subjungit S. Bernardus (Lib. » 7. de Confid. Cap. VI.); Nam si bonum, si ma- » gnum, si sapientem, vel quidquid tale de Deo di- » xeris, in hoc verbo instauratur quod *Est*, *Est*. » Nempe hoc est ei esse, quod haec omnia esse, si » et centum talia addas non recessisti ab esse. Si ea » dixeris, nihil addidisti; si non dixeris, nihil mi- » nuisti. Ergo etc.

PROPOSITIO II.

Aseitas, *seu* esse Ens a se, *est formale metaphysicum constitutivum Essentiae Dei.*

§. 59. Prob. 1. Nihil est tam homini imperceptibile, quam Dei Essentia (§. 53.); Ergo nonnisi revelatione Divina, aliqua saltem imperfecta cognitio de ea haberi potest; Atqui Deus nonnisi *per esse a se* suam Essentiam manifestavit; Ergo etc. Prob. min. Volens Deus mittere Moysen ad Pharaonem, ut populum Israel ab illius captivitate liberaret, quaesivit ab eo Moyses, ut sibi diceret, quisnam ipse esset; cui respondit Dominus (Exodi III.): *Ego sum qui sum: sic dices filiis Israel, qui est misit me ad vos.* « Non dixit » egregie more suo S. Augustinus (In Psal. 134.) « Dominus Deus ille Omnipotens, misericors, justus: quae si diceret, utique vera diceret. Sublatis de medio omnibus, quibus appellari posset, et dici Deus, ipsum esse se vocari respondit, et tanquam hoc esset ei nomen; hoc dices eis, inquit, qui est misit me ». Ergo etc.

§. 60. Prob. 2. hac ratione. Illud recte dici potest Divinae Essentiae formale metaphysicum constitutivum, quod primo in Deo concipimus, quod est Deo ita proprium, ut aliis creatis rebus convenire sit impossibile; quodque tandem est veluti radix, a qua omnes Dei perfectiones, et attributa dimanant; Atqui tale est *Esse a se* (§. 58. n. 3) Ergo etc. (1).

---

(1) *Legantur* Tournely *Tomo II. quaest. 2. Concl. 3.* Boucat *Tomo I. Dissert. III. art. 1.* Iuvenin *Tomo II. Dissert. II. q. 2.* Aloysius Kamperger *Tomo I. q. 2. art. 2.*

CAPUT IV.

De praecipuis Dei Attributis.

§. 61. *Animad.* Innumera sunt Dei Attributa, sed brevitati consulendo, potiora, et magis nota studiosae juventuti exponemus; atque illud in primis monemus, varios circa ea fuisse Haereticorum errores. Sociniani namque Deo infinitatem denegarunt. Valentiniani, Gnostici, et Manichaei ejus immensitatem sustulerunt. Stoici Deum mutationi obnoxium dixerunt; et alii alia Dei Attribeta impugnarunt. Contra quos, aliosque, distinctis propositionibus ea vindicabimus.

PROPOSITIO I.

Deus est vere, et proprie aeternus.

§. 62. Prob. 1. ex Scripturis. In Deuteronomio (Cap. XXX. v. 40.) ait Deus: *Vivo ego in aeternum*; In Psalmis ait Propheta Deo (Psal. 89. v. 2.): *A saeculo, et usque in saeculum tu es Deus* (Psal. 101. v. 28.): *Tu autem idem ipse es, et anni tui non deficient*; *Tu autem Domine in aeternum permanes* (Ibid. v. 13.); et ut alia taceamus, ait Jeremias (Thren. V. v. 19.): *Tu autem Domine in aeternum permanebis.* Ergo etc.

§. 63. Prob. 2. ratione. « Aeternum, *inquit Origenes* (Apud *Tournely* Tomo I. q. q.) » illud » proprie dicitur, quod neque initium ut esset ha- » buit, neque cessare unquam potest esse »: Atqui ita est Deus; Ergo etc. Prob. min. Deus est Ens a se (§. 2.) et necessarium; Ergo nec initium habet, nec finem; non initium, quia est improductum, non finem, quia nullam habet caussam a qua destrui possit, vel annihilari, cum ipse sit aliorum entium

caussa et origo (§. eod.); Ergo est Æternus. Optime D. Ambrosius (In Psal. 43.): « Nihil tam pro» prium Dei quam semper esse ».

PROPOSITIO II.

Deus est infinitus in omni genere perfectionis.

§. 64. Prob. 1. ex Scripturis. David Propheta (Psal. 144.) ita loquitur de Deo: *Magnus Dominus, et laudabilis nimis, et magnitudinis ejus non est finis.* Baruch quoque: *Magnus*, inquit Deus (Cap. III. v. 25.), *et non habet finem.* Ergo etc.

§. 65. Prob. 2. hac ratione. Deus est Ens ita perfectum, ut aliud eo perfectius ne excogitari quidem possit (§. 21. Prob. 2. p.); Atqui talis non esset Deus, si non foret in omni genere perfectionis infinitus; Ergo etc. (1).

PROPOSITIO III.

Deus est Immensus; scilicet per essentiam rebus omnibus intime præsens.

§. 66. Prob. 1. Deus est immensus, si ubique sive in Cælo, sive in Terra invenitur; adeo quidem ut nullus sit locus, in quo ejus intima præsentia effugi possit; Atqui, ex Scripturis, ita se res habet; Ergo etc. Prob. min. Apud Jeremiam (Cap. XXIII. v. 24.) ait Deus ipse: *Numquid non Cælum et Terram ego impleo?* Quod David Propheta cogitans (Psal. 138. v. 24.): *Quo ibo*, ajebat Deo, *a spiritu tuo? et quo a facie tua fugiam? si ascendero*

(1) *Plura cum argum. opp. apud* Boucat *Tomo I. Dissert. IV. art. 2.*

in Cœlum tu illic es: si descendero in infernum, ades; Ergo etc.

§. 67. Prob. 2. his rationibus Seraphici Doctoris (In Lib. I. sent. dist. 37. q. 2. ad 1. 9.): « » Omne quod est in una re limitata, ita quod non » est in alia, est limitatum, et arctatum; sed hoc » est impossibile circa Deum; ergo non est in una » re, quin in omnibus sit. Item. Si Deus est in una » re, ita quod non in alia, aut potest esse in illa, » in qua non est, aut non: si non potest; ergo non » est omnipotens; Si potest esse, et non est, cum » res non mutetur, ergo mutari potest Deus; ergo » si Deus non est in omnibus rebus, aut non est » omnipotens, aut mutabilis, quorum utrumque est » impossibile ». Optime propterea ajebat S. Cyprianus (Lib. de vanit. Idol.): « Totum Mundum esse » Templum, et Deum ubique esse diffusum; sic » autem, *sequitur S. Augustinus* (Epist. 187. alias » 57. ad Dardanum Cap. IV.), ut non sit qualitas » Mundi, sed substantia creatrix Mundi, sine labore regens, et sine onere continens Mundum. Non » tamen per spatia locorum, quasi mole diffusa . . » . . sed et in solo Cælo totus, et nullo contentus » loco, sed in seipso ubique totus ».

Objecta adversariorum solvuntur.

§. 68. *Objic.* 1. Sacræ literæ apertissime docent Deum esse in Cælo per essentiam, per virtutem vero tantum in aliis locis; Ergo falsa propositio. Prob. ans. In Psalmis ait Propheta (Psal. 10. v. 5.): *Dominus in Cœlo sedes ejus*; Ergo etc.

§. 69. R. Laudatis verbis nihil aliud significare intendit Psalmista, quam Cælum, peculiari quadam ratione esse Dei sedem; quia in Cælo maxime Dei magnificentia, virtus, et gloria sempiterna manifestatur, atque elucescit, non vero quod Deus non sit

ubique; jam enim Deum per suam essentiam omnipraesentem agnoscens, dixerat (Psal. 138. v. 7.): *Quo ibo a spiritu tuo? et quo a facie tua fugiam?* Optime S. Joannes Damascenus (Lib. I. de Fide Orthodoxa Cap. XIII.): « Dei Locus is dicitur, qui » uberioris ipsius operationis, et gratiæ particeps est- » (illic enim sunt Angeli; qui faciunt ipsius volun- » tatem, eumque semper laudibus celebrant). Haec » quippe ipsi est requies ». Ergo etc.

§. 70. *Contra.* Atqui ita Cælum est Dei sedes, ut in aliis locis, nonnisi per solam virtutem, et operationem inveniatur; ergo n. r. Prob. subsm. Res ita se habet, si Deus sibi Cælum pro sede reservaverit, ac terram dederit hominibus; Atqui ex eodem Psalmista habetur (Psal. 113. v. 16.): *Cælum Cœli Domino: terram autem dedit filiis hominum;* Ergo etc.

§. 71. R. Si adductum argumentum valeret, dicere deberemus, Deum nec etiam per suam præsentiam, virtutem, et operationem ubique esse. Nam si in Caelo Caeli, hoc est in summo Caelorum sibi habitationem elegit, si filiis hominum Terram incolendam dedit, verum erit quod olim impii effutiebant (Job. Cap. XXII. v. 14.), dicentes: *Quid novit Deus? . . . nec nostra considerat: circa cardines Cœli perambulat;* quod quam sit absurdum nemo non videt. Dicendum ergo, ea Davidis verba intelligenda esse, non absolute, sed comparate, sive, sicuti S. Athanasius contra Sabellianos, ut ex majestate domicilii, ejus dignitas infinita rudioribus hominibus facilius explicetur. Et sane, si in adversariorum sensu David fuisset locutus, numquam alias dixisset (Psal. 22. v. 4.) Deo: *non timebo mala; quoniam tu mecum es.*

§. 72. *Contra.* Atqui laudata Davidis verba absolute accipienda sunt, ita ut a quocumque alio loco hujus terrae Dei praesentiam excludant; Ergo etc.

Prob. subsm. Si David Dei praesentiam a Terra non excluderet, non dixisset, Deum de Caelo in Terram aspicere, ut videat filios hominum; inclinare Caelos, et descendere; exaudire de Caelo sancto suo nostras orationes; Atqui revera ita est (Psal. 32. v. 13. et Psal. 17. v. 10.); Ergo etc.

§. 73. R. Laudata in argumento, et illis similia, quae in Sacris Scripturis leguntur, non proprie, sed metaphorice accipienda sunt. Audiatur prae caeteris S. Augustinus (Lib. XVI. de Civit. Dei Cap. V.), qui sic loquitur: « Non loco movetur Deus, » qui semper ubique est totus: sed descendere dici» tur, cum aliquid facit in Terra, quod praeter usi» tatum naturae cursum mirabiliter factum, praesen» tiam quodammodo ejus ostendit » Et alibi (Serm. 70. de temp.): » Descendere dicitur Deus, quando » curam humanae fragilitatis habere dignatur ».

§. 74. *Objic.* 2. Si Deus per suam essentiam esset ubique, esset utique etiam in sordidissimis locis; esset in Daemonibus, atque in peccatoribus; Atqui hoc absurdissimum est dicere, cum Deus sit ipsa puritas, et Sanctitas; Ergo etc.

§. 75. R. Nullum est pertimescendum absurdum, ex quo dicatur, Deum esse in sordidissimis locis, etiam in Daemonibus, atque peccatoribus; Nam sicut anima rationalis non inquinatur in corpore, etiam leproso; quia spitualis est; multo minus Deus, cum longius sit ab omni materia sejunctus, nullas ex praesentia sua in rebus corporeis maculas contrahere potest; et sicut Sol, ut ajebat S. Macharius (Hom. VII.): » » etsi creatura sit, lutulenta loca perfundit, neque » quidquam laeditur, multo magis Divinum Numen » ita cum Satana versari, ut neque commaculetur, » neque labis aliquid inde concipiat (1).

---

(1) *Vid. alia apud.* Frassen *Tomo I. Tract. I. III. art. 3. q.* 1. Boucat *Tomo I. Dissert. IV.*

§. 76. *Contra.* Atqui absurdum est quod Deus sit in Daemonibus, atque peccatoribus; Ergo n. r. Prob. subsm. In Proverbiis (Cap: XV. v. 29.) habetur: *Longe est Dominus ab impiis*, et a fortiori, a Daemonibus; Ergo etc.

§. 77. R. admitt: auct:, disting: sensum; Longe etc: præsentia, qua ubique est, n.; gratia, et amicitia, conc:; Ergo etc. n. consm. Deum longe esse a peccatoribus praesentia sua, qua rebus omnibus est intime praesens, absurdissimum est. Nam; *Non est ulla creatura invisibilis in conspectu ejus; omnia autem nuda, et aperta sunt oculis* ejus. (Heb: IV.) Et: *In ipso vivimus, et sumus* (Act: XVII.) Quod si laudato in loco dicatur, Deum longe esse ab impiis, et peccatoribus, non intelligendum est, quasi Deus non sit per suam immensitatem etiam in illis, sed quod non sit cum eis, et in eis per gratiam sanctificantem, qua domestici Dei constituimur, imo unum spiritum efficimur cum eo. Deus, quantum ex se est, ubique est; Nam: *Deus appropinquans ego sum, et non Deus procul*, dicit ipsemet Deus apud Jeremiam (Cap: XXIII. v. 23.). Si peccatores elongati ab eo dicuntur, id est propter peccata, quibus homo averti a Deo dicitur, et converti ad creaturas; et vicissim dicitur, Deum elongari a peccatoribus, atque faciem suam ab eis avertere.

§. 78. *Contra.* Atqui Deus non solum longe est a peccatoribus gratia sanctificante, sed et sua praesentia; Ergo a capite argm. Prob: subsm. Deus est vera lux, peccatores sunt tenebrae; Si Ergo Deus prope esset peccatoribus, profecto illuminaret eos; Atqui ut peccatores illuminentur debent ad Deum accedere, juxta illud Davidis (Psal: XXXIII. v. 5); *Accedite ad eum, et illuminimini*; Ergo etc.

§. 79. R. conc: maj, dist.: quod inde infertur, illuminaret eos, si ipsi vellent, et obstacula ut illuminentur non ponerent; conc:, secus, n., et dist:

min. Atqui etc, accedere motu corporis, quasi Deus revera cum illis non esset per suam praesentiam, neg., motu cordis, fide nempe, et bonis operibus, conc.; Ergo etc:, nego consm. Verissime Deus est lux infinita, qui potens est omnes homines illuminare. At sicuti Sol splendens, et illuminans per omnia, eos homines non illuminat, qui fenestras claudunt ne lumen ingrediatur, vel oculos cludunt ne videant lucem; ita homines peccatores a Deo non illuminantur, quia voluntarie claudunt oculos mentis ne videant. Quare ut illuminentur debent *accedere ad Deum*, non quidem motu corporis, sed cordis, fide nempe, fiducia, bonis operibus; Adeoque etc.

PROPOSITIO IV.

Deus est Ens ita simplex, ut excludat omnem prorsus compositionem.

§. 80. Prob. Triplex, juxta Theologos, distinguitur compositio; Physica nempe, Metaphysica, et Logica; Atqui nullam ex his habet Deus; Ergo etc. Prob. min. Physica compositio habetur ex materia, et forma, vel ex anima, et corpore, vel ex partibus quantitativis, et integrantibus, vel tandem ex subjecto, et accidente; Atqui Deus purissimus est spiritus, omnis materialis compositionis expers (§. 19.) nec accidens ullum in eo reperitur, quia ut inquit S. Augustinus (Lib. V. de Trinit. Cap. IV. n. 5.): » Accidens non solet dici, nisi quod aliqua mutatione ejus rei, cui accidit, amitti potest . . . . » Nihil itaque accidens in Deo, quia nihil mutabile » aut amisibile ». Ergo etc. Deinde Metaphysica compositio est ex essentia, et existentia; ex actu et potentia; ex natura, et personalitate; Atqui existentia Dei est ipsamet Dei essentia; quippe est Ens a se, et necessitate suae naturae existit (§. 2. 3.); est

actus purissimus, in quo nihil concipi potest, quod habeat rationem potentiae quasi passivae, cui aliquid adveniat, a quo perficiatur; neque in Divinis subsistentia, seu personalitas realiter distinguitur ab essentia; Ergo etc. Tandem compositio Logica habetur ex genere, et differentia; Atqui ex S. Cyrillo Alexandrino (Dialogo II. De Trinit.): « A recta ratione longe alienissimum est, genus de Deo nominare, cum nulla res sit cum ipso, aut ante ipsum »; Ergo etc. Adeoque etc.

PROPOSITIO V.

Deus est omnino immutabilis.

§. 81. Probatur. Deus necessitate suae naturae existit (§. 3.); Ergo immutabilis est quoad existentiam. Deinde Deus est Ens necessarium, et a se (§. 2.); Ergo quoad suam substantiam mutari nequit; unde ajebat David (Psal 101. v. 28.): *Tu idem ipse es, et anni tui non deficient*. Rursus Deus est immortalis, et quidem (I. Timot. VI. v. 16.) qui solus habet immortalitatem; Ergo nullam mutationem in vita habere potest: Ulterius, Deus est Immensus (§. 66.), Ergo ratione loci est immutabilis; Iterum, Deus est Æternus (§. 62. 80.), et simplicissimus (§. 32.); Ergo est immutabilis tum ratione temporis, tum ratione accidentium. Tandem Deus, ut infra patebit, est omniscius, liberrimus, atque Omnipotens; Ergo nulla mutatio in eo fieri potest; Ergo etc.

Opposita argumenta solvuntur.

§. 82. *Objic.* Quem facti alicujus pœnitet, is certe mutabilis est; Atqui (Genes. Cap. VI.) *Pœnituit Deum quod hominem fecisset in terra*; Ergo Deus est mutabilis.

§. 83. R. Adm. maj., dist. min. Atqui etc., pœnitentia proprie dicta, nego; improprie tantum, et secundum nostrum concipiendi modum, conc. min.; Ergo etc., nego consm. Cum Deus omnia pondere, numero, atque mensura, sapientia sua, et potestate creaverit, atque omnia, quae hominibus eventura fuissent, clarissime sciverit, pœnitere utique vere, et proprie non poterat de hominis creatione; quippe, cui nihil novi accidere poterat. Non « enim, ait *S.* » *Augustinus* (Lib. XV. de Civit. Dei Cap. 25.), » sicut hominem, ita Deum cujusquam facti sui pœ- » nitet, cujus est de omnibus omnino rebus tam » fixa sententia, quam certa scientia. » Pœnitentia » Dei dicitur, alibi docet idem S. Doctor (Lib. I. » contra adv. Leg. et Proph. Cap. XX. num. 4.), » rerum in ejus potestate constitutarum hominibus » inopinata mutatio »; ideoque nonnisi improprie Pœnitentia dicitur. (Vid. S. Thomas 1. p; q. 19. art. ad 1.).

§. 84. *Contra*. Atqui Deum vere, et proprie pœnituit hominem fecisse super terram; Ergo nulla r. Prob. subsm. Illum proprie pœnitet alicujus facti qui dolore cordis intrinsecus tactus, factum illud revocat, aut destruit; Atqui ita Deum pœnituit hominem fecisse; dicitur quippe (Genes. Cap. VI. v. 6. 7.): *Tactus dolore cordis intrinsecus, delebo, inquit, hominem, quem creavi, a facie terræ*; Ergo etc.

§. 85. R. Dist. maj. Illum etc., si de hominibus loquamur, conc.; si de Deo, nego maj.; et dist. min. Atqui etc.; et laudata verba intelligenda sunt in sensu metaphorico, conc. min., in sensu proprio, n. min., et consm. Laudata in argumento, atque illis similia, quae passim in Scripturis leguntur « omnia, ait » Origenes (Homil XXIII. in Num.), tropico, et hu- » mano more accipienda sunt a Scriptura dici: aliena » porro est Divina Natura ab omni passionis, et permu- » tationis affectu, in illo semper beatitudinis apice

» immobilis, et inconcussa perdurans ». Sicuti namque, esto Deus sit simplicissimus (§. 19.), ei nihilominus humana membra tribuuntur; ita esto sit in se beatissimus, et immutabilis, dolere tamen dicitur aliisque affectibus agitari

§. 86. *Contra*. Atqui etiam si loquamur de Deo, dicendum est, ipsum vere pœnitere; Ergo n. r. Prob: subsm. Deus non raro mutavit consilium; modo eligit Saulem, veluti inter omnes Israelitas optimum, atque constituit eum in Regem; modo illum reprobat, atque ejicit, ne sit Rex, et loco ejus Davidem substituit; Modo iratus minitatur per Jonam (Cap. III.) Ninivæ subversionem, modo illius pœnitentia placatus, revocat de illius subversione decretum; Ergo etc.

§. 87. R. dist: antec: Et laudata in argumento, illisque similia intelligenda sunt quoad homines, qui Dei curæ subsunt, conc:, quoad Deum ipsum, n. antec: Ergo etc: n. pariter consm. Deus numquam consilium suum mutat, et immutabiliter se habet in ignoscendo cum quis delictum suum corrigit, et in puniendo cum quis, se non emendaverit; Non ergo ipse mutatur, sed ii mutantur, quorum curam gerit. » Deus, ad rem S. Justinus Martyr (R. ad quæst. » 36. Orthod.), et quia semper idem est, et quia » semper fecit, quod ipsum decet, omnino immutabilis » est: sed eum ii quos curat, mutantur, mutat ipse » res prout eis expedit quos curat, ideoque et ad igno- » scendum immutabilis est; ignoscit enim immutabi- » liter his qui delicta sua corrigunt; his vero, qui » a malo revocari non possunt, immutabiliter non i- » gnoscit. Quod ergo dixit de unctione Saulis: *poe-* » *nitet me*, ostendit ejus immutabilitatem in non i- » gnoscendo; quod vero de Ninivae excidio eum poe- » nituit, ostendit ejus immutabilitatem et in igno- » scendo. Est enim immutabilis Deus semperque per- » severat in his, quae ipsum facere decet, nequaquam

» admisit mutationem ad ea facienda, quae ipsum » dedecent ». Adeoque etc.

§. 88. *Objic.* II. Qui aliter nunc intelligit ac vult, quam antea, certe iste mutatur; Atqui Deus aliter intelligit creaturas in tempore, quam ab æterno: nam tunc ut solum possibiles, modo ut etiam actu existentes deprehendit; Ergo mutatus est; Adeoque falsa propositio.

§. 89. R. dist: maj: qui intelligit formaliter et intrinsece quam antea, ille etc: con: maj: tantum extrinsece, n: maj:, et contrad: min:; n: consm: Ut mutatio vera sit mutatio, ens formaliter et intrinsece necessario attingere debet; cum autem Deus per eumdem ipsissimum actum, per quem voluit et cognovit creaturas in aeternitate, per eumdem sic eas cognoscat in tempore; propterea intrinsece et formaliter non est in ipso mutatio; quod si aliqua est, ea se tenet ex parte rei volitae et cognitae; vel clarius sunt eadem objecta modo possibilia, modo actualia, modo bona, adeoque amore digna; modo mala; adeoque digna odio.

§. 90. *Contra.* Atqui etiam dato quod unus sit, idemque actus quo Deus ab aeterno diversa agit et operatur, adhuc tamen ipse Deus mutatur; Ergo n: r: Prob: subsm: Actus primus differt a secundo quoad exequutionem; Ergo licet intellectus, et voluntas Dei ab aeterno unum, eumdemque actum habuerint, tamen cum in illo actu facta sit exequutio in tempore, quæ non erat ab aeterno, intellectus et voluntas Dei per hoc ipsum certe mutata sunt.

§. 91. R. dist: antec: Actus primus etc:, et hic actus Deo adscribi debet, n:; secus. conc. antec: et n: consm: Actus primus est potentia proxime preparata ad agendum. Iam vero potentia isthaec a Deo est removenda. Cum namque Deus sit actus purissimus et perfectissimus, quaelibet ejus potentia semper in

actu secundo existit. Quare licet non tribuamus Deo ab aeterno exequutionem quoad res creatas, non proinde est ipsi adscribendus actus primus hujusmodi.

§. 92. *Contra.* Atqui in Deo datur revera actus primus, qui differt a secundo; Ergo stat argumentum. Prob: Subm: Si Deus extitisset semper in actu secundo, habuisset etiam in aeternitate exequutionem dicti actus; Sed hoc per vos ipsos est falsum; Ergo in Deo etc: Prob: sequela majoris. Impossibile est, activam potentiam habere actum secundum, quin simul executive terminum habeat ipsius actus. Ergo si Deus etc: habuisset etc.

§. 93. R. dist: antec: Impossibile est etc: in eadem mensura temporis, vel aeternitatis conc: antec: secus, n: antec: et consm. Advertendum est ly nunc et postea esse temporis differentias quæ in Deo nullo modo esse possunt, quia Deus non est in tempore; unde ex parte sui, creaturae non sunt primo in potentia, deinde in actu, sed hoc solum ex parte creaturæ, quia revera, solum ex parte creaturae est tempus. Hoc autem posito, dicimus impossibile esse activam potentiam habere actum secundum, sine executione in eadem mensura temporis vel aeternitatis. Hinc actus generandi in Padre Divino, et filius in Divinis, qui est terminus, mensurantur eadem eternitate, sicut etiam in creatas, ignis v: g: calefaciens in actu, necesse est quod sit simul cum calore deducto, quia uterque tempore mensurantur. Non ita sane in mensura opposita, ponendo scilicet actum potentiæ activae in aeternitate, et terminum in tempore; et hoc precise ex eo quod in aeternitate nec antea nec postea concipi potest.

PROPOSITIO VI.

Deus est Omnipotens.

§. 94. Prob. Omnipotentia est virtus infinita omnia faciendi, quae contraditionem non involvunt; Atqui talis virtus est in Deo; Ergo etc. Prob. min. In Genesi (Cap. XVII.) ait Deus ipse: *Ego Deus Omnipotens.* In Psalmis (Psalmo 110.) ait David de Deo loquens: *Omnia quæcumque voluit fecit.* Apud S. Lucam (Cap. I. v. 37.) inquit Angelus Virgini Mariae; *Non erit impossibile apud Deum omne verbum.* Ergo etc. Deinde si Deus non esset omnipotens, id vel ideo foret, quia infirmus est, vel quia alius est, qui eum ab opere impediat; Atqui neutrum dici potest, quia Deus est infinitus in omni genere perfectionis (§. 64.), et unicus (§. 37.); Ergo etc.

§. 95. Dices. Deus plura nequit facere; Ergo etc. Prob. ans. Deus non potest mori, non potest mentiri, aut fallere, non potest efficere, ut quod est factum, factum non sit, nequit peccare etc.; Ergo etc.

§. 96. R. Utique Deus praedicta nequit efficere; nam haec involvunt contradictionem; ideoque Divinae omnipotentiae non subsunt. Sane, si Deus posset mori, mentiri, aut fallere; si posset facere, ut quod est factum, foret infectum; si posset peccare, non esset Æternus, et immortalis; non esset summe verax, nec summe Sanctus: uno verbo, non esset Deus quod repugnat; Nam haec, et similia indicant defectus, qui in Deo esse nequeunt, cum ipse omnes complectatur perfectiones (§. 64.); Unde potius dicuntur haec, quod non possunt fieri, quam quod Deus ea nequeat efficere.

PROPOSITIO VII.

Deus est infinite Bonus, et Sanctus.

§. 97. Prob. In Levitico (Cap. VII. v. 44.) ait Deus: *Sancti estote, quoniam ego Sanctus sum.* In Libro Josue (Cap. XXIV. v. 10.) habetur: *Deus enim Sanctus est, et fortis;* Imo, uti legitur in Exodo: *Magnificus in sanctitate;* et II. Regum (Cap. II. v. 3.): *Non est Sanctus, ut est Dominus.* In Psalmis ait David (Psal. 105. 106. 117. 135.): *Confitemini Domino, quoniam bonus;* (Psal 72.): *Quam bonus Israel Deus!* (Psal 118.). *Bonus es tu, et in bonitate tua doce me justificationes tuas.* Apud Mattaehum (Cap. XIX. v. 17.) ait Christus: *Unus est bonus, Deus.* Tandem in Apocalypsi (Cap. IV. v. 8.) dicitur: *Sanctus, Sanctus Dominus Deus Omnipotens etc.* Ergo etc.

Dices. Si Deus est infinite bonus, cur tot mala in Mundo? Si est infinite Sanctus, cur ptot eccata fieri in Mundo permittit?

§. 98. R. Mala physica, quae in Mundo sunt si in seipsis, et separatim considerentur, mala utique videntur; quippe nos lædunt, atque affligunt; Verum si in aliarum rerum nexu, et ordine considerentur, vel relate ad fines, quos habet Deus in iis infligendis, bona potius sunt, quam mala; et multum nobis afferunt utilitatis. Nam vel peccatores sumus, et mala ista, præsentis vitæ miseriam, et infelicitatem nobis ostendunt; unde, et a terrenis cupiditatibus nostros animos revocant, et ad Deum pœnitentes, et contritos ire compellunt; vel sumus justi, et tunc, illis patienter toleratis, virtutes exercendi, nobis aditus patet, merita nostra augentur, Deo acceptiores reddimur, et conformes imagini dilectissimi filii sui tribulationibus effecti, cum ipso conglorificari meremur. Cum itaque tot bona ex malis

hujus Mundi in homines proveniant, » ideo melius, » ait D. Augustinus (Enchiridii Cap. 26.), judi- » cavit Deus de malis bona facere quam mala nulla » esse permittere ». Et alio (Ibid. Cap. XI.) jam dixerat: « Deus omnipotens cum summe bonus sit, » nullo modo sineret mali esse aliquid in operibus » suis; nisi usque adeo esset omnipotens, et bonus, » ut benefaceret et de malo ». Quod vero Deus peccata permittat, non ideo Sanctus non est; Nam potest Deus peccata penitus a Mundo tollere, sed non vult, ne privet hominem summo bono, nempe libero arbitrio, quo homo est homo, et ab aliis creatis rebus sublunaribus distinguitur. At inquies: poterat Deus ita condere hominem, et ejus voluntatem ita in bonum convertere, ut absque liberi arbitrii præjudicio bona opera, et nunquam peccata patraret? « » Posset plane, respondet S. Augustinus (Lib. XI. de » Gen. ad Lit.). Cur ergo non fecit? Quia noluit. Cur » noluerit penes ipsum est. Debemus enim non plus » sapere, quam oportet sapere ». Cæterum. « Ne » putetis, ait idem S. Doctor (In Psal. 54.), gra- » tis esse malos in hoc Mundo, et nihil boni de illis » agere Deum. Omnis malus aut ideo vivit, ut cor- » rigatur, aut ideo vivit, ut per eum bonus exer- » ceatur ». Ergo etc.

§. 99. Instabis. Deus utpote omniscius novit utique quinam indubitanter salvabuntur, quinam damnabuntur; si ergo esset bonus non crearet quos scit ituros ad Inferos; Atqui eos creat; et in numero majore prae aliis electis; Ergo bonus non est.

§. 100. R. Conc. ans., et dist. 1. cons. Non crearet, si finis Dei in hominis creatione nullus alius foret, quam illius beatitudo in Cælis, conc.; si alii sint fines, nego consam, conc. min. subsm., et nego ult. consam. Finis Dei in hominis creatione non est solum, ut ille æterna beatitudine fruatur, sed mani-

festatio externa gloriæ suæ, atque voluntatis suae perfecta exequutio. Siquidem (1): *Universa propter semetipsum operatus est Deus; impium quoque ad diem malum.* Quare esto praevideat Deus aliquos, propriis demeritis fore in Inferno damnandos, adhuc tamen eos creat, nec ideo malus dicendus est, sed infinite bonus; « Quia, *ait Augustinus* (Lib. XI. de Gen. » ad Lit.), sicut praevidit, quid mali essent facturi, sic etiam praevidit, de malis factis eorum quid boni esset ipse facturus. Deus *enim* (Sequitur Idem Epist. » 141.) etiam malis eorum bene utitur, non solum » ad justitiam suam, quae eis digna in fine retri» buet, sed etiam ad exercitationem, et profectum » Sanctorum suorum, ut ex ipsa etiam malorum per» versitate boni proficiant, et probentur, et mani» festentur (2).

CAPUT V.

De distinctione Attributorum Dei tum ab Essentia, cum a se invicem.

§. 101. *Animad.* Distincta ea dicuntur, quae eadem non sunt inter se. Unde.

§. 102. *Def. Distinctio, negatio identitatis* jure dicitur.

§. 103. *Schol:* Distinctio duplex est; *realis* nempe vel *a parte, et natura* rei, et *rationis*, sive *per intellectum.*

§. 104. *Def:* 2. *Distinctio realis est illa, quae versatur inter ea, quae revera non sunt eadem,* uti est ea, quae versatur inter hominem, et plantam; vel inter animam, et corpus.

---

(1) Proverb. XVI. *v. 4. Vid. Tirinum, et a Lapide.*

(2) *Leg. Estius in Lib. II. Sent. Dist. 23. §. 1.*

§. 105. *Def*: 3. *Distinctio rationis est illa quae inter ea concipitur, quae licet reapse sint eadem, ut plura tamen apprehenduntur*; talis est ea, quae inter vim sentiendi, intelligendi, atque imaginandi in mente humana habetur.

§. 106. *Schol.* Distinctio realis triplex est; *realis* nempe *major*, seu *entitativa*: *realis minor*, seu *modalis*; et *realis minima*, sive *formalis*.

§. 107. *Def.* 4. *Realis major est illa, quae intercedit inter rem, et rem, substantiam, et substantiam, atque inter ea, quae distinctis rebus, aut substantiis inhaerent*: Ita distinguntur aurum, et lac, illius flavedo, et hujus albedo.

§. 108. *Distinctio realis minor*, seu *modalis*, *est illa*, *quae invenitur inter rem et modum*, *seu accidens ejusdem rei vel inter duos ejusdem rei modos ad invicem independentes*; uti esset inter corpus, ejusque figuram, et colorem.

§. 109. *Def*: 6 *Distinctio formalis*, vel realis minima *est illa*, *quae habetur inter varias ejusdem rei formalitates*, *hoc est attributa*, *et essentialia*, qualis est inter ejusdem hominis animalitatem, et rationalitatem.

§. 110. *Schol*: Distinctio rationis, sive per intellectum duplex est, *rationis* nempe *ratiocinantis*, ut loquuntur Scholastici, et *rationis ratiocinatæ*, *sive virtualis*. Prior est illa, quae nullum habet fundamentum in re, sed omnino ab intellectu effingitur, talis esset distinctio, quam quis faceret inter vestimentum, et indumentum; Secunda, est illa, quæ reperitur inter ea, quae licet sint una eademque entitas, multis tamen realiter distinctis aequivalent, ita distingui dicuntur intellectus, et voluntas, quia sunt una eademque anima, quae duobus aequivalet, quatenus intelligit, et amat. Atque haec de vario distinctionum genere, quænam vero distinctio inter Divinam Essentiam, et Attributa; sicuti et inter attributa Dei ad invicem.

Variae sunt Auctorum sententiae.

§. 111. Eunomius, et caeteri de Arianorum grege, omnem distinctionem inter Essentiam divinam, et illius proprietates, sive absolutas, sive relativas sustulerunt. Idipsum circa finem IV. saeculi praestaruut Anomaei (1). E contra Graeci quidam, a Gregorio Palama, Palamitae dicti, Gualterus (2), et Gilbertus Porretanus (3), distinctionem realem majorem (§. 107.) inter Dei Essentiam, et Attributa, et inter Attributa ab invicem posuerunt. Medium tenuere Theologi Catholici; sed in distinctione adsignanda inter se se non conveniunt. Inclita Tomistarum familia stat pro distinctione virtuali (§. 110.); pro formali (§. 109.) vero minoritica S. Francisci soboles, et Scoti sectatrix; et tam ista, quam illa sectatores, et patronos habet. Nos hic, quae tantum necessaria sunt, exponemus.

PROPOSITIO.

Inter Divinam Essentiam, et Attributa, sicuti et inter Attributa Dei ad invicem, datur aliqua distinctio. Ea vero realis major non est.

§. 112. Prob. 1. pars. S. Athanasius (Serm. de Deipara.) inquit: « Deum esse incorporeum, increat » tum, aeternum, etc, non quod singula istorum » substantia Dei sint, sed circa substantiam ejus ver- » sentur ». Ergo si haec attributa non sunt substantia

(1) *Sianda Lexicon Polemicum verbo Aetiani.*

(2) Augustinus Niphus *Disp.* 13. *Cap.* 13. XII. *Metaphys.*

(3) *Ex* Ottone Frisigensi. *Lib. I. de gestis* Friderici I. *Imperatoris Cap.* 46.

Dei, ab illa utique distinguntur. Deinde, ut bene observat S. Gregorius Nyssenus (Lib. XII. contra Eunomium.) « Scripturae multis nominibus Divinam naturam » vocant Deum judicem, justum, fortem, longanimem, » verum, misericordem, etc. Horum autem nomi- » num dicimus non esse omnium uniformem signifi- » cationem, sed quaedam eorum, quae ab eo absunt » notationem habere, ut cum justum ipsum, et in- » corruptibilem dicimus, justo quidem inesse justi- » tiam, incorruptibili vero non esse interitum demon- » stramus ». Si ergo multae sunt in Deo perfectiones, et Attributa, quorum unum non est aliud, et nomina eorum non eamdem habent significationem, profecto aliqua inter ea distinctio est; adeoque etc.

§. 113. Prob. 2. pars. Si daretur distinctio realis entitativa (§. 107.) inter Divinam Essentiam et Attributa, vel inter Attributa ab invicem, Attributa essent substantiae distinctae ab Essentia; adeoque Divina essentia non esset una, sed multiplex, et plures quam tres essent in Deo personae distinctae; atqui hoc est fidei contrarium, quae docet (In Concil: Later: Cap. *firmiter*): *Substantiam Divinam esse indivisibilem, utpote omnino simplicem, in Deo esse Trinitatem solummodo, non vero quaternitatem; quia quaelibet trium Personarum est illa res, videlicet substantia, essentia, sive natura Divina*; Ergo etc. Apposite S. Bernardus: (Lib. V. de Consid. C. 7.) « Multa dicuntur esse in Deo, et quidem sane Catho- » liceque, sed multa unum, alioquin si diversa pute- » mus, non quaternitatem habueris, sed centenita- » tatem. Verbi caussa, dicimus magnum, justum, » et innumerabilia talia: sed nisi omnia unum in » Deo, et cum Deo consideres, habebis multiplicem » Deum » (1).

(1) Si ergo inter Essentiam Divinam, et Attributa; sicuti et inter Attributa a se invicem aliqua est

De invisibilitate Dei; De ipsius intellectu, et voluntate, atque de ipsiusmet Providentia.

§. 114. Esto Deus lucem inaccessibilem habitare dicatur, ac tenebras posuisse latibulum suum, ita ut nullus hominum eum videat; aut videre possit; diligentibus tamen se, claritatem vultus sui in Cælis ostendit, qua apparente, et radiante, eos satiat, et torrente voluptatis suæ potat uberrime, atque inebriat. Neque interim in hac mortali vita, homines sinit a calore suo abscondi; quinimo, quoniam omnipotens (§. 94.), bonus (§. 97.); et qui novit, omniscien-

distinctio, et haec realis entitativa non est, quaenam tandem erit? Virtualis forsan Thomistarum (§. 110.), an formalis Scotistarum? (§. 109.) Hoc opus, hic labor est. At consulantur Auctores tam pro distinctione virtuali, veluti, *Boucat* Tomo I. Dissertat. III. art. 5. *Tournely* Tomo I. q. 3. art. 2. Conc. 2. et alii; quam pro distinctione formali, uti *Henno* Tomo I. Disp. 2. q. 2. Conc. 3., *L' Herminier* Tomo I. pag. 82. *Frassen* Tomo I. Tract. I. Disput. II. art. 2. q. 2. aliique, et amplectatur quis quam sibi, post seriam meditationem, atque studium placuerit. Synopsis hujus nostrae, et temporum ratio non sinit hac in materia longius immorari. Heu! tempora sunt, in quibus seposito partium studio, omnes, qui zelum Domini habent, induti lorica fidei, et scuto protectionis Dei muniti, nec non armis justitiae formidabiles effecti; adversus undique furentes fidei hostes, qui toti sunt ut Ecclesiam destruant, et nomen ipsius Dei perdere faciant in Terra; acriter pugnaturi exeant, ut discant increduli, Ecclesiam Petri naviculam, fluctibus quidem concuti, atque variarum Doctrinarum ventis agitari posse, non autem mergi; atque fidem Catholicam oppugnari quidem posse, numquam vinci.

tia sua abscondita cordis, et a sæculis, eos providentia sua, gubernare non deest, atque ad praestitutos a se fines fortiter, suaviterque perducere. Quod an, et quomodo fiat, sequentibus Capitibus, clare simul, atque breviter, expendemus.

CAPUT I.

De possibilitate Visionis beatificæ.

§. 115. *Animad.* Visio duplex distinguitur; *corporalis* una, *mentalis* alia.

§. 116. *Def.* 1. *Visio corporalis est oculorum corporalium actio, qua externa corpora cospiciuntur.*

§. 117. *Def:* 2. *Visio Mentalis* vero *dicitur mentis actio, qua spiritualia, et abstracta cernuntur.* Atque haec duplex a Theologis dignoscitur; *abstractiva* nempe, et *intuitiva.*

§. 118. *Def:* 3. *Visio abstractiva ea est, qua objectum in alio, et per aliud, veluti per medium cognoscitur.* Ita Deus a nobis in hac vita per creatas res videtur, dicente Apostolo (Roman. I. v. 20.): *Invisibilia ipsius, a creatura Mundi, per ea, quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur: sempiterna quoque ejus virtus, et divinitas.*

§. 119. *Def:* 4. *Visio intuitiva est illa, qua, objectum immediate, ac in seipso cognoscitur, sicuti est, facie ad faciem.* Jam vero qua visione Deus ab hominibus videri possit

Discrepant Auctores inter se.

§. 120. Omnes illi, qui Deum membris corporeis praeditum dixerunt, eum quoque oculis corporeis visibilem affirmarunt: Ita Antropomorphitae, et Gentilium vulgus. Palamitae, e contra, et Armeni, Deûm intuitive videri negarunt, autumantes, eum in Cae-

lis non videri a Beatis immediate in se, sed similitudine quadam. Non desunt inter Catholicos alii, qui etiam in hoc Mundo, homini possibilem visionem beatificam, tuentur.

PROPOSITIO I.

Deus oculis corporeis nequit omnino videri.

§. 121. Prob. 1. ex Scripturis. Apostolus ad Timotheum scribens, ait (Epist. III. Cap. I. v. 17.): *Regi sæculorum immortali, et invisibili;* et alibi (Cap. VI. v. 16.): *Quem nullus hominum vidit, sed nec videre potest.* Ergo etc.

§. 122. Prob. 2. ex Patribus. S. Augustinus (Epist. 92. ad Italicam.): » Deus, ait, lux est » mentium purgatarum, non istorum corporis oculo» rum . . . . Hoc autem oculus videre corporis ne» que nunc potest, neque tunc poterit « S. Hierony» mus: » Nequaquam, ait (In Cap. 64. Isaiae.), » sermonibus explicatur, nec oculo corporis contemplabilis est; sed ab his videtur, de quibus dictum » est: *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum vi» debunt* ».

§. 123. Probatur 3. ratione. Deus est purissimus Spiritus (§. 19.) omnis compositionis expers (§. 80.); Atqui substantia spiritualis nequit esse objectum visionis oculorum corporeorum; Ergo etc. Deinde eo modo Deus potest videri, quo, cum videndo, similes ei efficimur, juxta illud (Epist. I. Joan. Cap. III.): *Cum apparuerit similes ei erimus; quoniam videbimus eum sicuti est.* Atqui Deo similes erimus ratione visionis intuitivae, qua veluti in Deum ipsum transformabimur « Quis enim ait Augustinus (Epist. » XII.), dementissimus dixerit, corpore nos vel esse, » vel futuros esse similes Deo? In interiore igitur » homine ista similitudo est »; Adeoq. etc.

Adversariorum argumenta solvuntur.

§. 124. *Objic.* I. Deus, Jobi sententia (Cap: 36. v. 25.) est omnibus visibilis; *omnes namque homines vident eum;* Ergo falsa propositio.

§. 125. R. dist: antec: est visibilis visione corporali, n: antec: est visibilis visione abstractiva, con: antec: et n: consm: Cum Deus sit substantia, quae neque corpus est, nec alia res instar corporis, certe objectum sensuum externorum nostri corporis nullatenus esse potest. Hoc tamen non ostante, oculis nostris continuo cernitur in rebus omnibus hunc Mundum adspectabilem componentibus; visione tamen illa quae abstractiva dicitur; quatenus nempe in rebus creatis creatorem videmus, et a visibilibus hujus Mundi, ad Deum invisibilem, ejusque invisibilia cognoscenda adsurgimus. Cum namque res hujus Mundi sint contingentes, et creaturae contingentes nequeant existere sine ente necessario. Ideo videre non possumus res contingentes, quia in illis Deum quoque abstractive videamus.

§. 126. *Contra.* Atqui Deus videri potest, non solum visione abstractiva, sed etiam corporali; Ergo n: r. Prob: Subm: Job ipse, dum adduc viveret, se Deum oculis suis vidisse testatur. En ejus verba ad Deum ipsum (Cap. XLII. v. 5.): *Auditu audis andivi te, nunc autem oculus meus videt te;* Ergo etc.

§. 127. R. dist: antec: et laudatis verbis asserere vult Job, se oculis carneis, etc. n. antec: secus conc: antec: Laudato in loco S. Job non vult asserere se oculis corporeis Deum vidisse, sed vel humana forma sibi apparentem, vel experientia comperisse, quod jam fide credebat; Deum nempe, justo suo judicio permittere servos suos calamitatibus premi; tribulationibus, atque angustijs affligi, at numquam permittere ut ipsi ærumnis omnino opprimantur, sed post tribulationem eos reddere feliciores et gloriosiores, quam

antea erant. Postquam namque Deus eum affligi permiserat, videns Job se a Deo ditatum in substantiis atque filiis, nec non perfectæ sanitati redditum, dixit: *Auditu auris audivi te, nunc autem oculus meus videt te*; quasi diceret: Domine mi Deus; optime sciebam ex auditu majorum meorum, te permittere ut in hoc Mundo adversitatibus premantur servi tui, atque facere cum tribulatione proventum, amplissime post tribulationem eos munerando, sed et hoc vel nunc expertus sum, et oculis meis iam video; permisisti enim me seruum tuum, omni calamitatum genere affligi, sed nunquam oblitus es mei, et postquam probasti me, non solum reddidisti quæ amiseram, sed majora et grandiora. Nihil ergo ex aductis verbis contra nostram thesim.

§. 128. *Contra.* Atqai Job oculis suis corporeis Deum videri posse adfirmat; Ergo n. r. Prob. Subm. Res ita se habet si Job antea sperasset se oculis carneis Deum aliquando visurum. Atqui revera id S. Job speraverat; nam inquit (Cap. 19. v. 26). *In carne mea videbo Deum meum. Quem . . . . oculi mei conspecturi sunt* Ergo etc.

§. 129. R. cum D. Augustino (Lib. XII. de Ci- » vit. Dei Cap. 29.): Illud quod ait supra memo- » ratus Job, sicuti in exemplaribus, quae ex He- » braeo sunt, invenitur: Et in carne mea videbo » Deum: resurrectionem quidem carnis, sine dubio » prophetavit; non tamen dixit, per carnem meam » quod quidem si dixisset, posset Deus Christus in- » telligi, qui per carnem in carne videbitur ». Adeoque nihil ex laudato testimonio adversus expositam thesim conficitur.

PROPOSITIO II.

Intuitiva Dei visio, nedum est possibilis, sed datur.

§. 130. Probatur ex Scripturis. Apud S. Matthaeum ait Dominus de parvulis (Cap. XVIII.): *Angeli eorum semper vident faciem Patris mei, qui in Cœlis est*: et apud eumdem jam dixerat (Cap. V.): *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt*. Similiter apud Joannem inquit (Cap. XIV. v. 21.): *Qui diligit me diligetur a Patre meo, et ego diligam eum, et manifestabo ei meipsum*. Unde Apostolus ad Corinthios scribens, ait (Epist. I. Cap. XIII. v. 12.): *Videmus nunc per speculum in ænigmate; tunc autem facie ad faciem*. Ergo etc.

PROPOSITIO III.

Homini, etiam in hac præsenti vita, speciali privilegio, possibilis est clara Dei visio: an autem revera aliquis eam habuerit, non satis certum est.

§. 131. Prob. 1. pars. Si intuitiva Dei visio foret homini in praesenti vita impossibilis, id vel esset ex parte Dei concedentis, vel ex parte hominis recipientis; Atqui neutra ex parte id est impossibile; Ergo etc. Prob. min: quoad utramque partem. Ad concedendam homini visionem intuitivam in praesenti vita duo potissimum ex parte Dei requiruntur; 1. nempe quod Deus alliget sensus externos ne agant, et intellectus a sensibus non dependeat in operando; 2. ut det intellectui lumen gloriae, quo elevetur ad Dei visionem; Atqui haec Deo impossibilia non sunt; Ergo etc. Prob. eadem min. quoad 2. partem. Naturae humanae non repugnat intuitiva Dei visio; si enim repugnaret, nunquam assequeretur; Ergo etiam in præsenti vita non repugnat. Prob. consa. Si aliqua

assignari posset repugnantia, esset in hoc, quod homo mortalis sit; Atqui visio Dei intuitiva non pugnat cum mortalitate, nisi ratione contrariorum effectum; Ergo divinitus, et per miraculum potest esse simul, sicuti de facto fuit in Christo, de quo « dicendum est scribit Doctor Subtilis (In IV. Dist. 49. q. 12. n. 3.) quod semper fuit miraculum usque ad mortem » in ipso, quod fuerint beatitudo, et mortalitas, pro- » pter repugnantiam effectuum »; Ergo etc.

§. 132. Prob. 2. pars. In Exodo ait Deus ipse Moysi (Cap. XXXIII.): *Non poteris videre faciem meam; non enim videbit me homo, et vivet.* S. Joannes (Epist. I. Cap. VI.): *Deum, inquit, nemo vidit unquam*; et S. Paulus (I. ad Timot. Cap. VI.): *Quem*, nempe Deum, ait, *nullus hominum vidit*. Ergo etc.

Adversariorum argumenta solvuntur.

§. 133. *Objic.*: c. 1. P. Apostolus ad Timothemus scribens ait (Epist.: I. Cap. I. v. 17.) Deum invisibilem appellat; et *quem* (ib.: Cap.: VI. v. 16.) *nullus hominum videre potest*. Ergo etc.

§. 134. R. dist.: antec: videre poterit visione corporali, conc.: antec:, visione intuitiva, n. antec:, et consm. Deus cum sit purissimus spiritus, impossibile est, ut oculo corporeo ab homine videatur. At visione intuitiva, utique videri potest; Hinc idem ille Paulus, qui laudatis in locis ait Deum invisibilem esse, ad Corinthios scribens (Epist: 1. Cap. XIII. v. 12.): *Videmus nunc*, ait, *per speculum in ænigmate; tunc autem facie ad faciem*; Adeoque etc.

§. 135. *Contra*. Atqui nec etiam intuitive potest Deus ab homine videri; Ergo n. r. Homo dum est in corpore, ut ait idem laudatus Apostolus, peregrinatur a Domino, et ambulat per fidem, non per speciem (II. Cor. V. 6. 7.); quare dum corpore circumda-

tus est, et sensibus indiget ad objecta dignoscenda, nequit supernaturalia perspicere intuitive; Atqui Deum intuitive videre, est quid supernaturale; Ergo etc.

§. 136. R. dist. cons. intuitive videri absque supernaturali Dei ipsius adjutorio, conc: cum Dei auxilio, n. consm. Fatemur et nos, sine speciali Dei auxilio, atque privilegio, in hac vita praesenti, Deum videri non posse intuitive; *Oculus namque non vidit, Deus*, inquiebat Isaias (Cap. LXIV. v. 5.), *absque te, quae præparasti diligentibus te*; Sed Dei ipsius auxilio et privilegio videri posse, nulla repugnantia est (§. 131.). Ad rem S. Epiphanius (Haer: 70. 1 7.): » Deum videre est impossibile, praesertim naturæ hominis, neque ei quod adspectabile » est, id quod adspectabile est, id quod videri omnino » non potest, intueri licet verum invisibilis Deus pro » sua benignitate ac potentia imbecillitatem vi sua » corroborare dignatus est, ut quod impisibile est, » cerneret.

§. 137. *Contra*. Atqui Deus, nec etiam singulari ejus privilegio, intuitive videri potest; Ergo n. r. Prob: subsm: Deus est ens infinitum, intellectus creatus est finitus; Atqui impossibile est ut quod est finitum videat infinitum. Ergo etc.

§. 138. R. conc: maj., dist: min: videat infinitum visione comprehensiva, stricte sumta, conc:, visione comprehensive late sumpta, seu visione intuitiva, n. min; Ergo etc: n. consm. Cum Deus sit Ens infinitum, atque undequaque perfectum, homo autem miseriis atque imperfectionibus plenum, profecto nequit, uti in se est, atque in tota extensione videri. Hinc Damascenus (Lib: I. Ort: fidei C. 1.) » Deus, ait, nec ratione ulla explicari, nec ullo modo » comprehendi potest » At videre eum intuitive, visione, scilicet comprehensiva late sumpta, optime potest. « Neque vero dubium est, aiebat S. Epiphanius (Hær: 70. n. 7.), quin Deus comprehendi

» nequeat . . . Porro cum visibile illud infinitum » aspicit, non quatenus illud infinitum est, illud in» tuetur: sed quantum illius, quod imbecillum est, » natura capere potest. ».

§. 139. *Objic.* c. 2. p: Quod aperte asseritur in Sacris Scripturis, certum est; Atqui in Sacris Scripturis aperte asseritur Deum pluries a Sanctis viris visum fuisse; Ergo falsa altera pars propositionis.

§. 140. R. dist: min: visum fuisse visione vere intuitiva, n. min:, visum fuisse in humana forma apparentem, conc: min:; Ergo etc. n. consm. Cum Deus hominum filios suas delicias ducat, atque maxime beneplacitum ei sit cum illis conversari, sepius in forma humana sanctis suis apparere dignatus est, vel ipsemet, vel Angelus ejus personam, et vices repraesentans. Ita Adae in terrestri Paradiso; ita Noè, Abrahæ, Isaiae etc: Hoc autem non obstat propositioni nostrae, qua tuemur incertum esse, an aliquis revera in hac vita Deum intuitive viderit?

§. 141. *Contra.* Atqui in Sacris Scripturis aperte legitur aliquos, Deum intuitive vidisse; Ergo n. 1. Prob: subsm. Deum intuitive videre est ipsum videre *facie ad faciem*; Atqui in Genesi (Gen: XXXII. v. 30.) Jacob Patriarcha aperte loquitur, dicens: *Vidi dominum facie ad faciem.* Ergo etc.

§. 142. R. admitt: maj: dist: min: Atqui etc, visione intuitiva, nego min:; apparentem in forma humana; conc: min: Ergo etc., n. consm. Iacob Patriarcha, et si qui sunt alii, qui in Sacris Scripturis, Deum facie ad faciem vidisse dicuntur, non vera visione intuitiva, quae scilicet Beatorum proprie est in Cælesti Patria, Deum riderunt, sed aliquem Angelum viderunt in humana forma apparentem, atque Dei vicem gerentem. Ita Sancti Ecclesiae Patres in numeri, et Expositores Sacri. Quare esto Sriptura asserat, Iacob Deum vidisse, non ideo certum est, eum intuitiva visione Deum vidisse; imo certum est ipsum

non vidisse nisi virum, Angelum nempe in humana forma secum per totam noctem luctantem; legitur quippe (ib: v. 24.): *Mansit solus*, scilicet Iacob, *et ecce vir luctabatur cum eo usque mune*. Quid clarius?

§. 143. *Contra*. Atqui ex Scripturis manifeste apparet visionem Dei intuitivam negatam omnibus non esse in hac vita; Ergo: n. r. Prob: subsm. In Exodo legitur (Cap: XXXIII. v. 11.) de Moise; *Loquebatur Dominus ad Moisen facie ad faciem, sicut solet loqui homo ad amicum suum*. Ergo etc.

§. 144. R. admitt: auct:, dist: sensum. Et laudata verba dicuntur de Moise, quia revera intuitive vidit Deum in hac vita, n.; secus, conc:; Ergo etc: n. consm. Cum Moises specialem familiaritatem, prae caeteris aliis Patriarchis et Prophetis cum Domino, vel cum Angelo, sub humana specie eidem apparente haberet, ideo dicitur cum Domino facie ad faciem, veluti cum amico, fuisse loquutum; non vero quod Deum intuitive viderit; nam hoc ei a Deo penitus negatum fuerat, cum dixerat (ibid v. 20.): *Non poteris videre faciem meam*. Unde S. Augustinus: « Quid vidit Moyses? inquit (Tract: III. in Ioan.) « Moyses vidit nubem vidit Angelum, vidit ignem: » Omnis illa Creatura typum Domini sui gerebat, » non ipsus Domini præsentiam exhibebat ».

PROPOSITIO IV.

Homini, ut Deum clare intueatur, necessarium est supernaturale auxilium, quod est lumen gloriæ.

§. 145. Prob. D. Paulus ad Romanos (Cap. VI.) vitam æternam Gratiam Dei appellat, inquiens: *Gratia Dei vita æterna;* quod eodem recidit, ac si dixisset: Gratia Dei, vitam æternam parit: jam vero vitam æternam in Dei cognitione, seu visione positam esse, Christus Dominus docuit, cum dixit (Joann.

Cap. XVII. v. 3.): *Hæc est vita æterna, ut cognoscunt te solum Deum verum*: si igitur Gratia Dei vitam æternam parit, eadem profecto cognitionem, et visionem Dei donat. Idem porro aperte confirmare videtur David (In Psal. 83.), dicens: *gratiam, et gloriam dabit Dominus*; quibus sane verbis gratiam et Beatorum gloriam ita conjungit, ut suadeat per gratiæ donum, sua Beatos in Cælis gloria cumulari. Quis autem nescit, totam Beatorum gloriam, in ipsa Dei intuitiva visione consistere, sive intuitivam Dei visionem, Beatorum in Cælis statum reddere gloriosum? Igitur totam visionis beatificæ possessionem, facem praeferente Regio Psalte, gratiæ referre debemus acceptam. Si ergo per gratiam Deus intuitive videtur; cumque gratia donum sit supernaturale, nemo in dubium revocare poterit, primam expositæ propositionis partem, nimirum, necessarium esse supernaturale auxilium, ut Deus clare, et intuitive videatur.

§. 146. Prob. 2. pars. Ex ostensis, Deus supernaturalis auxilio gratiae, intuitive, et clare videtur, atqui id, quo Deus clare, et intuitive videtur, divinum lumen David appellavit (In Psal. 55.) his verbis: *et in lumine tuo, videbimus lumen*; idest per gloriosum gratiæ lumen, sive per acceptæ gloriæ lumen, claram, luminosamque Dei faciem, sive Deum intuitive videbimus; Ergo etc.

§. 147. Idem ex Isaia (Cap. XXXIII.) confirmari quoque potest, qui sic loquitur: *Regem in decore suo videbunt oculi ejus*: idest DeumRegem videbunt oculi ejus in ipso fulgore Divinitatis, ut ait S. Gregorius; sive in ipso, et per ipsum gloriæ lumen, Deum Regem videbunt. Et propterea stat altera propositionis pars, nimirum lumen gloriæ, recte statuitur, esse auxilium illud supernaturale, quo Deus intuitive videtur.

CAPUT II.

De inæqualitate visionis beatificæ.

§. 148. *Animad.* Jovinianus, teste S. Hieronymo (Lib. II. contra eund.), visionem beatificam æqualem esse ajebat in omnibus Beatis. Sicuti namque iste aequalia faciebat omnium peccata, ita et merita. Duos tantum propterea affirmabat « esse ordines » ovium, et hircorum, alterum justorum, alterum » peccatorum alios stare a dextris, alios a sinistris » . . . . ita ut inter Joannem, et ultimum pœnitentem nulla sit distinctio ». Catholici omnes Theologi inæqualitatem visionis beatificæ profit ntur; at in adsignando principio, unde talis inaequalitas oriatur, inter se non conveniunt. Caussam moralem hujus, inaequalitatis jam dicunt esse inaequalitatem meritorum; scriptum est enim (Roman. Cap. II.), quod Deus: *reddet unicuique secundum opera ejus*; *et* (Epist. I. ad Corinth. Cap. III.): *unusquisque mercedem accipiet secundum suum laborem*; sed caussam physicam? Subtilis Præceptor, S. Thomas, et alii volunt caussam hujusmodi esse tum inaequalitatem luminis gloriæ, tum disparitatem perspicaciæ intellectuum. Thomistae et plures cum eis, eam esse volunt solum inaequalitatem luminis gloriae. Utraque sententia suis fulcitur argumentis.

PROPOSITIO I.

Visio Dei intuitiva aequalis non est in omnibus Beatis.

§. 149. Prob. 1. ex Scripturis. Christus Dominus apud Joannem (Cap. XIV.) ait: *In Domo Patris mei mansiones multæ sunt.* Quomodo « autem, » inquit Tertullianus (In Scorpiaco Cap. VI.),

» multæ mansiones apud Patrem, si non pro varie» tate meritorum? » Apostolus ad Corinthios scribens, ait (Epist. I. ad Corinth. Cap. III.): *Unusquisque propriam mercedem accipiet secundum suum laborem;* Unde (Epist. II. ad Corinth. Cap. IX.): *Qui parce seminat, parce et metet*; et alibi (Epist. I. ad Corinth. Cap. III.): *Alia est claritas Solis, alia claritas Lunæ, alia claritas stellarum: sicut stella enim a stella differt in claritate, sic et resurrectio mortuorum*; Ergo etc.

§. 150. Prob. 2. ex Conciliis. Concilium Florentinum (In Decr. union.) decrevit: *Beatos intueri clare ipsum Dominum Trinum, et unum, sicuti est; pro meritorum tamen diversitate alium alio perfectius.* Idipsum statuit Tridentina Synodus, dicens (Sess. VI. Cap. X. et XVI. et Can. 24. 32.): *Justificatum per bona opera crescere posse in sanctitate, et meritis, nec solum vere mereri augmentum gratiæ, et ipsius vitæ æternæ, si tamen in gratia discesserit, consequutionem; sed etiam gloriae augmentum* Ergo etc.

§. 151. *Obijc.* variis mediis. 1. In quadam Parabola apud S. Matthaeum (Cap. XX. v. 7.) ait Christus, unum denarium datum fuisse a Patre familias operariis, licet alii plus, alii minus laborassent; Atqui per hunc denarium, figuratam dicunt Patres, visionem beatificam; Ergo haec in omnibus Beatis aequalis est.

Secundo. In Cælis, intuitiva Dei visione, Beatus plene satiatur, juxta illud Davidis (Psal. 16. v. 15.): *Satiabor cum apparuerit gloria tua*; Atqui si inaequalis esset visio, non omnes satiarentur; Ergo etc.

Tertio. Si visio Dei intuitiva inaequalis foret, Beatus, qui minori visione donatur, tristari posset de alterius majori visione; Atqui hoc esset Paradisum evertere; Ergo etc.

§. 152. R. ad singula. Et ad 1. Licet per denarium illum visio beatifica intelligatur, non quoad omnia tamen, sed quoad aliqua tantum intelligenda est; nempe quoad objectum beatitudinis, quod est Deus, et visionis durationem, quae est aeterna, non vero quoad beatitudinis intensionem. Sane omnes videbunt Deum Trinum, et unum, infinitum etc.; omnes pariter visione beatifica sine fine gaudebunt. Audiatur S. Augustinus (Serm. 87. alias 59. de verb. Dom Cap. IV n. 6.): » Denarius ille est vita ae» terna, et in vita omnes aequales erunt. Quamvis » enim meritorum diversitate fulgebunt, alius ma» gis, alius minus; quod tamen ad vitam aeternam » pertinet, aequale erit omnibus ».

§. 153. Ad 2. Quamvis beatifica visio in omnibus Beatis aequalis non sit, omnes tamen ejus possessione satiantur. » Sicut enim, optime S. Prosper » (Lib. III. de vita contemplat. Cap. IV.), corpo» ralis saturitas aequaliter omnes saturos habet, quam» vis singuli cibum non aequaliter, sed pro possibi» litate perceperint; ita omnes Sancti, etsi fuerint » aliqua graduum suorum diversitate distincti, una » beatitudine perfecti erunt, quia et una perfectione » Beati securi sunt ».

§. 154. Ad 3. denique: Nulla omnino pertimescenda tristitia est in Beato, qui minori gaudet intuitiva visione. Nam ut recte monet S. Augustinus (Lib. XXII. de Civit. Dei Cap. XXX. n. 3.). « Id » beata Civitas illa magnum in se bonum videbit, » quod nulli superiori ullus inferior invidebit, sicut » nunc non invident Arcangelis Angeli caeteri: tan» quam nollet esse unusquisque, quod non accepit » . . . . quam nec in corpore vult oculus esse, qui » est digitus «. Et S. Gregorius (Lib. XXXV. Mo» ralium Cap. XIV.): » Apud Patrem quippe, in» quit, mansiones multae sunt, quia in illa beati» tudinis vita non dispari, unusquisque juxta dis-

» par meritum, locum disparem percipit: sed ejus» modi disparilitatis damna non sentit; quia tantum » sibi, quantum perceperit, sufficit ».

PROPOSITIO II.

Inaequalitatem visionis intuitivae ex inaequalitate tum luminis gloriae, tum intellectuum perspicaciae oriri, admodum probabile est.

§. 155. Prob. Lumen gloriae, et intellectus, simul concurrunt ad producendam visionem Dei intuitivam, et ita quidem, ut sicuti intellectus, suis viribus relictus, et absque lumine gloriae nequeat Deum intuitive videre; ita solum lumen gloriae nequeat; absque intellectu, visionem intuitivam elicere; Ergo sicuti perfectior, ac intensior est visio, quo majus est lumen gloriae, ita perfectior, et intensior est visio, quo intellectus majorem habet acumen, atque perspicaciam (1).

Quaeres. *An Beati possint Deum comprehendere?*

§. 156. R. negative. Nam apud Jeremiam (Cap. XI.), Deus dicitur: *magnus consilio, et incomprehensibilis cogitatu;* unde Job (Cap. XLIII.): *Forsitan*, ajebat, *vestigia Dei comprehendes, et usque ad perfectum omnipotentem invenies?* et Ecclesiasticus (Cap. XLIII.): *Ne laboretis*, monebat, *non enim comprehenditis.* Et merito quidem, quia Deus, ex Apostolo (Ad Timot. Cap. VI.), *lucem habitat inaccessibilem*; Ergo etc. Idipsum patet ratione theo-

---

(1) *Qui alia pro hac Propositione scire cupit, legat* Frassen *Tomo I.* Scotus Accademicus *Tract.* 1. *Disp. III. Art. 7. Sect. 4. q. 2. Concl. 2.* L'Herminier *Tomo I. pag.* 188.

logica. Comprehensio, juxta Theologos, est cognitio, qua cognoscitur totum, quod est in re cognoscibile, ita perfecte, ac objecti cognoscibilitas exigit; quare S. Augustinus: « Totum, inquit » comprehenditur » videndo, ut nihil ejus lateat videntem »; Atqui Deus, utpote omnimode infinitus, nequit ab intellectu, virtute finita praedicto, totaliter, et quantum ejus cognoscibilitas exigit, cognosci; Ergo etc. Neque dicas, S. Paulum visionem comprehensivam admittere, dum de seipso dicit, scribens ad Philippenses (Cap. III. v. 12.) · *Sequor autem, si quo modo comprehendam*; et cum Corinthios monet, dicens (Epist. I. Cap. IX. v. 24.) · *Sic currite, ut comprehendatis*; Nam ibi non loquitur de visione Dei comprehensiva, sed de assequutione felicitatis æternæ, quo sensu, omnes Beati comprehensores vulgo nominantur (Vid. S. Thomas in hunc locum).

§. 157. Objicies. In Cælo Beati Deum cognoscunt sicuti a Deo cognoscuntur; ait namque Apostolus (Ad Philippe. Cap. XIII. v. 42.): *Nunc cognosco ex parte, tunc autem cognoscam sicut et cognitus sum*. Atqui Beati cognoscuntur a Deo cognitione perfecta, et comprehensiva; Ergo et eadem cognitione ipsi Deum in Caelo cognoscunt; Adeoque etc.

§. 158. R. Dist. maj. In Caelo etc., quoad aliqua, conc., per omnia n. maj., et conc. min., n. consm. utramque. Beati in Caelo Deum cognoscunt, sicuti a Deo cognoscuntur, per quamdam similitudinem tantum, non vero quantum ad cognitionis perfectam aequalitatem. Quis namquam dicere audebit, eamdem esse Dei cognitionem, ac creaturarum? Deus est infinitus, et infinita cognitione, atque scientia pollet, quid ergo mirum si Beatos perfecte cognoscat, et comprehendat? At Beati sunt finiti quomodo ergo fiet ut Deum perfecte cognoscant, et comprehendant? Quare S. Thomas sic explicat laudata Pauli verba (Comment. in hunc loc.): » Nunc, idest in prae-

» senti vita, ego Paulus cognosco ex parte, idest » obscure, et imperfecte, tunc autem, scilicet in Pa» tria, cognoscam sicut et cognitus sum; idest sicut » Deum cognoscam per essentiam; ita quod ly *sicut* » non importat hic aequalitatem cognitionis, sed si» militudinem tantum »; In hoc scilicet, quod sicut Deus cognoscit me in sua essentia, et uti sum in meipso *intuitive*, ita et ego cognoscam eum, ejusque attributa, non *abstractive* in creaturis et per creaturas, veluti in praesenti vita, sed *intuitive*, et immediate in seipso, sicuti est.

Quaeres. *Quaenam Beati videant in Deo?*

§. 159. R. Ineffabilia sunt, quae Beati vident in Deo. Ac 1. quidem Beati, Deum videntes, vident formaliter, et distincte ipsam Dei essentiam; Personarum Trinitatem, attributa omnia, secundum proprias eorum rationes. *Cum enim apparuerit*, ait S. Joannes (Epist. I. Cap. III.), *similes ei erimus; quoniam videbimus eum sicuti est*: Unum nempe in substantia, Trinum in Personis, Justum, Sanctum Omniscium etc. 2. Beati, Deum videndo, vident etiam creaturas aliquas, secundum earum esse proprium; insuper 3. ea omnia vident in Verbo quae spectant eorum status, perfectionem, satietatem. « » Quid namque, ait S. Gregorius (Lib. II. Mora» lium Cap. II.), de his, quae scienda sunt nesciunt » qui scientem omnia sciunt »? Hinc vident praecipua fidei Mysteria, dicente Apostolo (Epist. II. ad Corint. Cap. III.): *Nos atem, revelata facie, gloriam Domini speculantes, transformamur de claritate in claritatem.* Vident summam Dei erga homines misericordiam, necnon alios omnes Beatos, et quid ipsi cogitent, ac velint; nam ut ait Augustinus (Serm. XLVI. de Div. Cap. V.): « Nemo ibi vult tectum » esse quod cogitat, quia ibi nemo male cogitat ».

Vident Pontifices, quae ad regimen totius Ecclesiae spectant; unde S. Petrus ajebat (Epist. II. Cap. I. v. 15.): *Dabo operam, et frequenter habere vos post obitum meum, ut horum memoriam faciatis.* Vident Patres, quae ad propriam familiam pertinent; quare S. Augustinus ad Cornelium scribens, ait (Epist. 259. n. 5.): » Tua conjux te recordatur . . . . te, » casta non vult ad poenas venire maechorum ». Vident petitiones, quas viventes, orando, ad ipsos dirigunt. Vident . . . quid plura? Vident « quidquid » decebit, vel delectabit eos videre » inquit Guillelmus Parisiensis (De Immort. animae Cap. 8.); Nam Concilii Senonensis auctoritas est (In Decret. fidei Cap. XIII.): *Beatis pervium esse Divinitatis speculum, in quo quidquid eorum intersit, innotescat* (1).

CAPUT III.

De Intellectu Dei, ejusque scientia.

§. 160. *Def. Intellectus nomine nihil aliud hic venit, quam potentia, seu principium, quo Deus perfectissime res cognoscit, verum a falso distinguit, ac vero assentitur, a falso dissentit.*

§. 161. *Schol.* Porro potentiam hanc, seu principium, intellectum nempe, et quidem praestantissimum, atque infinitum, in Deo esse, ita fide, atque ratione ipsa naturali certissimum est, ut merito insanire dixeris, quotquot oppositum, vel somniare, præsumpserint (2). Quid? Qui creavit hominem intelle-

(1) *Vide* Lessium *Lib. II. de Summo bono Cap. IX., et Theologos alios passim citatos suis in locis.*

(2) Utinam tamen et revera non essent perditissimi homines ejusmodi, qui cuperent saltem, Deum ne-

ctu; et scientia spiritus (Ecclesiast. Cap. XVII. v. 6.) praeditum: *Qui Deus scientiarum Dominus est* (I. Regum Cap. II. v. 3.); qui est fons, et origo omnis sapientiae (Eccl. Cap. I. v. 1.); *qui sapientiam praestat parvulis* (Ps. 18. v. 8.); *Qui fecit Cœlos in intellectu* (Ps. 135. v. 5.): *Qui sapientia fundavit Terram* (Prov. III. v. 19.), *et sapientia ejus erupti sunt abyssi* (Ibid. v 20.); qui, uno verbo, omnia in sapientia fecit (Psal. 103. v. 24.), sine illa potentia erit, quae intellectus dicitur! delirantium figmenta. Est in Deo intellectus; et quoniam Deus est infinitus in omni genere perfectionis (§. 26.), infinitus est, atque perfectissimus ejus intellectus; infinita scientia.

§. 162. *Def.* 1. Scientia Dei est; ***cognitio certa et evidens, unico purissimo actu habita, eaque de omnibus.***

§. 163. *Coroll.* Itaque Dei scientia non est uti scientia nostra; Nam primo Scientia Dei non est accidens, seu aliquid ipsi adventitium, ut in homine; sed prorsus ipsamet Dei essentia simplicissima; « Hoc » enim est illi esse, aiebat Augustinus (Lib. 7. de » Trin: C. I.), quod sapere ». Non sic autem in ho-

---

que intelligere, neque scire, neque videre, quae hic geruntur! Sed: o tempora! Quam multi sunt, qui dubitando dicunt: *Quomodo scit Deus, et si est scientia in excelso?* Quam multi effraenes blasphemi audiuntur qui convenientes adversus *Dominum*, *et adversus Christum ejus*, dicere audent: *Non videbit Dominus, et non intelliget Deus Jacob.* Quid iniquius! *Filii hominum usquequo gravi corde?* ut quid caecitatis tenebras diligitis, *et quaeritis mendacium? Intelligite, insipientes in populo, et stulti aliquando sapite. Qui plantavit autem non audiet? aut qui fingit oculum non considerat? . . . qui docet hominem scientiam?* Psal. 93. v. 8. Legatur Cap. XXII. Ecclesiastici.

mine. « Homo enim, scribit S. Thomas (De scient. » Dei q. 14. art. 1. ad 2.), secundum diversa co- » gnita habet diversas cognitiones. Nam secundum » quod cognoscit principia, dicitur habere intelli- » gentiam: scientiam vero, secundum quod cognoscit » conclusiones: sapientiam, secundum quod cognoscit » caussam altissimam . . . . Sed hæc omnia Deus » una, et simplicissima cognitione cognoscit ».

Secundo scientia Dei non est habitus; sed actus simplicissimus, et purissimus.

Tertio non est discursiva, hoc est non habetur per discursum; sed in instanti per unicum simplicissimum actum. Etenim: « Non more hominum, ait » S. Augustinus, quod futurum est, Deus prospi- » cit, vel quod praesens est, aspicit, vel quod præ- » teritum respicit: neque ejus cogitatio de cogitatio- » ne in cogitationem transit, in cujus incorporeo in- » tuitu adsunt cuncta quae novit, quoniam tempora » ita novit nullis suis temporalibus rationibus, que- » madmodum temporalia movet nullis suis tempora- » libus motibus ».

Quarto. Scientia Dei non est mutabilis, et in plures actus divisa; sed aeterna, immutabilis, augumenti, atque decrementi incapax, quae de uno in aliud tempus transit. Hinc Augustinus (Lib. 2. ad Simplic: q. 2.). « Cum dempsero de humana scien- » tia mutabilitatem, et transitus quosdam a cogita- » tione in cogitationem, insinuatur mihi utcumque » scientia Dei.

§. 164. *Schol.* 1. Sciéntia Divina duplex habet objectum, *Primarium* nempe, et *Secundarium*; Illud est Deus ipse, prout in se est, hoc autem est omne ens creatum, vel possibile. Ens enim omne considerari potest, vel ut possibile, hoc est, quod non repugnat ut existat; vel ut actu existens; vel ut absolute, et necessario futurum; vel ut futurum con-

tingenter, ac libere; vel tandem ut futurum sub aliqua conditione.

§. 165. *Schol.* 2. Scientia Divina sumpta secundum entitatem suam realem, non est nisi una; at sumpta relate ad res creatas, et *terminative*, ut ajunt; duplex distinguitur; Alia namque dicitur *scientia simplicis intelligentiæ*, *scientia visionis alia;* nonnulli addunt *scientiam mediam* (1).

§. 166. *Def.* 2. *Scientia simplicis intelligentiæ est illa, qua Deus res possibiles, præcise qua possibiles sunt, cognoscit;*

§. 167. *Def.* 3. *Scientia visionis est illa, qua Deus res vel existentes, vel aliquando futuras cognoscit.* Atque hæc scientia Dei decretum absolutum supponit; Etenim nihil existit, aut aliquando existet, quin a divina voluntate dependeat.

§. 168. *Def.* 4. Scientia media, secundum ejus defensores, est cognitio certa, et infallibilis, quam Deus habet de rebus conditionate futuris, ante decretum actuale, et exercitum, quo decernit, et prædeterminat illas esse futuras. His positis, quæ de scientia Dei tenenda sunt, distinctis propositionibus, exponemus.

PROPOSITIO I.

Deus perfectissime, et intuitive seipsum cognoscit, et comprehendit.

§. 169. Prob. Apud S. Matthaeum (Cap. XI. v. 27.) ait Christus: *Sicut novit me Pater, et ego agnosco Patrem.* Similiter apud Joannem (Cap. X. v. 15.), inquit: *Nemo novit Filium nisi Pater,*

(1) Antoine *Theol. univ. Tomo I. De Deo Uno art. V.* §. 1.

neque Patrem quis novit, nisi filius. Apostolus quoque ad Corinthios scribens, ait (Epist. I. Cap. II. v. 11.): *Quæ Dei sunt nemo cognovit, nisi spiritus Dei.* Ergo etc.

PROPOSITIO II.

Habet Deus scientiam simplicis intelligentiæ, qua mere possibilia cognoscit.

§. 170. Nam in Ecclesiastico (Cap. XXIII. v. 29.) legitur: *Domino Deo; antequam crearentur, omnia sunt agnita*; Et Apostolus ad Romanos scribens (Cap. IV. v. 17.), inquit: *Vocat Deus, quæ non sunt, tanquam ea quæ sunt*; Hinc ad Ieremiam dixit Deus ipse (Cap. I. v. 5.): *Priusquam te formarem in utero, novi te.* Ergo etc.

PROPOSITIO III.

Deus habet scientiam visionis, qua omnia præterita, præsentia, et futura, etiam libera, et contingentia cujuscumque sunt generis, et conditionis, certo cognoscit; adeo ut ipsum non lateant intima cordium secreta, et mentis cogitationes.

§. 171. Probatur. In Libro Sapientiae legitur (Cap. VIII. v. 8.), quod Deus *scit præterita, de futuris æstimat . . . . signa et monstra scit antequam fiant, et eventus temporum, et sæculorum.* Unde David ajebat (Psal. 138. v. 5.): *Ecce Domine tu cognovisti omnia novissima, et antiqua*: et antea (Ibid. v. 3.): *Intellexisti cogitationes meas de longe*; et iterum (Psal. 43. v. 22.): *Ipse novit abscondita cordis.* Tandem, ut alia prætereamus, Apostolus ad Hebræos scribens ait (Cap. IV. v. 13.): *Non est ulla creatura invisibilis in con-*

spectu ejus: omnia autem nuda, et aperta sunt oculis ejus: Et jam in Libro I. Paralipomenon (Cap. XXVIII.) erat scriptum: *Omnia corda scrutatur Dominus, et universas mentium cogitationes intelligit.* Ergo etc. Quare S. Augustinus (Lib: V. de Civ: Dei C. 9.) ait: « Confiteri esse Deum, et negare » praescium futurorum, apertissima insania est. »

PROPOSITIO IV.

Deus certo cognoscit contgentia conditionate futura.

§. 172. Probatur ex Scripturis. Davidi Dominum consulenti, an Saul veniret in Ceilam, et num viri Ceilæ eum in manus Saulis cum viris, qui secum erant traderent, respondit Dominus (I. Regum Cap. XXIII.), quod Saul descenderet in Ceilam, et quod Ceileitæ in illius manus eum traderent; quo audito, David discessit à Ceila, et manus Saulis evasit; Ergo cognovit Deus quod si David non fugeret, haud salvaretur. Deinde Christus Civitatibus Corozain, et Bethsaida exprobans ob duritiam cordis earum civium, inquit (Cap. XI. v. 21.): *Vœ tibi Corozain, vae tibi Bethsaida, quia si in Tyro et Sidone factae essent virtutes, quœ factœ sunt in vobis, olim in cilicio, et cinere pœnitentiam egissent.* Itaque praevidit Christus Dominus, et cognovit, quod si miracula facta in Corozain, et Bethsaida fuissent facta in Tyro, et Sidone, Tyrii, Sidoniique fuissent conversi; Ergo etc. (1).

---

(1) Hæc futura conditionata, arbitrantur non pauci a Deo cognosci per *scientiam mediam*, quam ideo *scientiam conditionatorum* appellant. Verum praeter

CAPUT IV.

De medio, in quo Deus res cognoscit.

§. 173. *Def*: *Medium cognitionis dicitur id, in quo res aliqua cognoscitur.*

§. 174. *Schol.* In quo medio Deus omnia cognoscat, admodum difficile est definire; quare de Scholis Theologi in varias abeunt opiniones. Nec mirum quantoquidem magnus ille Augustinus, qui tam magna de Deo, rebusque Divinis, felici exitu explicaverat, hoc medium se scire non posse dixit; unde et ajebat (In Psal. 49.): » Non audeamus dicere:

---

scientiam simplicis intelligentiae, et visionis datur ne ista scientia media? Difficilissima sane haec Quaestio est, quae ipsa illustrium Theologorum semper adeo torsit ingenia, ut propterea vel ipsi ejus defensores, invicem in ea explicanda, non conveniant. Si Societatis Jesu Theologos consulas, eam ad Caelos usque evectam invenies, veluti quid divinitus patefactum ad omnes Pelagianorum, Semipelagianorum, Lutheranorum, et Calvinistarum errores circa Divinam praedestinationem, convellendos, et unicum medium ad conciliandam libertatem arbitrii cum Divina gratia. Ita Kamperger Tomo I. Quaest. VII. Art. 4. Antoinè Tomo I. Theolog. Univ. Tract. de Deo uno Cap. V. art. 5. et alii. Si Thomistas, et Scotistas interroges, audies, eam ad ima usque Tartara fere deprimi, veluti Doctrinae S. Augustini contrariam, penitus inutilem, imo faventem errori Semipelagianorum, innumerisque aliis incommodis scatentem. Ita Frassen Scotus Accademicus Tomo II. Tract. II. Disp. I. Art. II. Sect. 3. q. 3. L' Herminier Tomo I. pag. 213. Berti Lib. IV. de Theologic. Discipl. Cap. XI. Juenin Tomo II. Dissert. IV. Cap. V. art. 2. et alii. Quid Ergo? Ponderentur Auctorum argumenta, et quod rationi Teologicae, et Fidei magis consentaneum videbitur, amplectatur.

» quomodo novit Deus? Ne forte hoc a me expecte-
» tis ut explicem vobis, quomodo cognoscat Deus:
» hoc solum dico, non sic cognoscit ut Angelus:
» et quomodo cognoscit, dicere non audeo, quoniam
» et scire non possum ». Quid nos sentiemus, secluso omni partium studio, ex sequentibus patebit.

PROPOSITIO I.

Deus cognoscit se in seipso.

§. 175. Prob. Medium, in quo res aliqua cognoscitur debet esse prius cognitum, quam res ipsa cocatur; Atqui atributum, quod in Deo primum cognoscitur est esse a se (§. 58.); imo in esse a se Essentiæ Dei formale metaphysicum constitutivum consistit (§. 59.); Ergo etc.

PROPOSITIO II.

Deus cognoscit creaturas possibiles in sua Essentia, et Omnipotentia.

§. 176. Prob. 1. p. Nam Essentia Divina habet vim infinitam repræsentandi quolibet ens; Ergo etc. Deinde: Deus, ut ratiocinatur S. Thomas (In I. Sentent dist. 35. q. 1. art. 2.) cognoscit Essentiam
» suam: sed per Essentiam suam est principium re-
» rum; ergo ipse cognoscit se esse principium rerum;
» sed impossibile est quod cognoscatur aliquid esse
» principium, nisi cognoscatur aliquid, cujus est
» principium: quia qui novit unum relativorum,
» cognoscit et alterum; Ergo etc. Tandem Deus perfectissime, seu comprehensive seipsum cognoscit (§. 169.); ergo illa quoque omnia, quæ in ipso, tanquam in caussa continentur, perfectissime cognoscit, tanquam in medio prius cognito; Ideoque etc.

§. 177. Prob. 2. p. Ideo aliquid possibile in sua Essentia Deus cognoscit, quia non repugnat ut illud sit; hoc est, quia ejus Omnipotentia illud producere potest, si velit; si enim ejus Omnipotentia ad illud efficiendum extendi non posset, illud intrinsecus repugnaret, et consequenter numquam foret possibile; Ergo etc.

PROPOSITIO III.

In sua Essentia cognoscit Deus res creatas.

§. 178. Prob. « Neque enim, scribit S. Dionysius (Lib. VII. de Divin. nomin.) ea quae sunt ex iis quæ » sunt discens novit Divina mens, sed ex se, et in » se per caussam, rerum omnium cognitionem, scien» tiam essentiamque anticipatam, et ante compre» hensam habet: non quod per speciem singula con» sideret, sed quod uno caussæ complexu omnia sciat » et contineat. » Nec dissimiliter loquuntur alii Patres, Ambrosius præsertim (Cap. I. in Symb.), et Augustinus (1); Ergo etc.

PROPOSITIO IV.

Deus futura libera ordinis naturalis cognoscit in determinatione suæ voluntatis, includente determinationem voluntatis humanæ.

§. 179. Prob. Nam, ut aliquod liberum sit futurum, duo necessario requiruntur; ut nempe voluntas humana pro libitu sit se determinatura ad illud ponendum; et ut Divina voluntas se determinet ad suum

(1) *Lib. XV. de Trinit. Cap. XIV. et Lib. V. de Genesi ad Litt. Cap. XV.*

concursum præstandum, alterum horum si desit, nihil erit futurum; Ergo etc. Unde Augustinus (Lib. » XXVI. Contra Faust. Cap. IV.) Illud me non latet sine dubio futurum, si hoc Dei voluntas habet »; et alibi (Lib. I. ad Simplic. Cap. 2.): « Deus ut » velimus et suum esse voluit, et nostrum ».

PROPOSITIO V.

Deus futura contingentia supernaturalis ordinis cognoscit in sua Essentia, supposito tamen ejus decreto, quod illa futura sint.

§. 180. Probatur prop. Ideo contingentia sunt certo futura, quia Deus libere decrevit illa esse futura, et media convenientia præstare, ut essent futura. Cum namque homo, ut in Tractatu de Gratia dicetur, divina gratia egeat ad ea quae supernaturalis ordinis sunt, peragenda, antequam Deus libere decerneret dare gratiam, ut illa efficerentur, in statu purae possibilitatis erant; illa proinde Deus in sua essentia cognovit, et ante Decretum (§. 176.); et quidem per scientiam simplicis intelligentiæ (§. 170.); Nam in essentia Dei non relucebant, nisi tantum ut possibilia. Statim ergo ac Deus decrevit illa futura esse, non amplius ut possibilia, sed ut certo futura conspiciuntur; Adeoque etc.

§. 181. Dices contra expositam doctrinam de scientia Dei. Scientia Dei evertit humanam libertatem. Etenim quæ a Deo praecognita sunt, nequeunt non evenire; Ergo non est admittenda.

§. 182. R. neg. Nam ut optime S. Justinus Martyr (Quaest. 58. ad Orthodoxos): » Non est præ» scientia caussa ejus, quod futurum est: sed quod » futurum est caussa præscientiæ. Siquidem non præ» scientiam sequitur futurum, sed futurum consequi» tur præscientia; et haudquaquam præscius est caussa

» futuri ». Quare neque ideo peccat homo, subjungit » S. Augustinus (Lib. V. de Civit. Dei Cap. X.), » quia Deus illum peccaturum præscivit; imo ideo » non dubitatur ipsum peccare, cum peccat, quia » ille, cujus præscientia falli non potest, non fatum, » non fortunam, non aliquid aliud, sed ipsum pec» caturum esse præscivit; qui si nolit, utique non » peccat: sed si peccare noluerit, hoc etiam præsci» vit ». Divina ergo scientia non lædit humanam libertatem, quia non imponit homini necessitatem; nec ideo aliquid nequit non evenire, quia Deus illud eventurum esse cognovit.

CAPUT V.

De Voluntate Dei.

§. 183. *Def. Voluntatis nomine intelligitur vis illa substantiæ intellectivae ingenita, quæ prævia cognitione, bonum prosequitur, malum aversatur, finem intendit, et media ad ipsius assequutionem convenientia eligit, ordinat, et amplectitur.*

§. 184. *Schol.* Esse in Deo voluntatem, Sacrae literae manifestissime ostendunt. In Genesi (Cap. XIV. v. 8.) ait Joseph fratribus suis: *Non vestro consilio, sed Dei voluntate huc missus sum.* Apud S. Mattheum (Cap. VI. v. 10.) Jesus Christus docens discipulos modum orandi, inquit: *Fiat voluntas tua sicut in Cœlo, et in terra.* S. Paulus quoque ad Ephesios scribens, inquit (Cap. I. v. 11.), *Deus operatur omnia secundum consilium voluntatis suæ.*

§. 185. *Animad.* Duplici autem sensu Divina voluntas, juxta Doctores Theologos, solet usurpari. Primo pro ipsa Dei complacentia et virtute, qua bonum prosequitur, malum aversatur, et finem intendit. Secundo pro aliquo exteriori signo ipsius Divini beneplaciti, quo fit, ut quæ Deus vel præcipit, vel

ctu; et scientia spiritus (Ecclesiast. Cap. XVII. v. 6.) praeditum: *Qui Deus scientiarum Dominus est* (I. Regum Cap. II. v. 3.); qui est fons, et origo omnis sapientiae (Eccl. Cap. I. v. 1.); *qui sapientiam praestat parvulis* (Ps. 18. v. 8.); *Qui fecit Cœlos in intellectu* (Ps. 135. v. 5.): *Qui sapientia fundavit Terram* (Prov. III. v. 19.), *et sapientia ejus erupti sunt abyssi* (Ibid. v 20.); qui, uno verbo, omnia in sapientia fecit (Psal. 103. v. 24.), sine illa potentia erit, quae intellectus dicitur! delirantium figmenta. Est in Deo intellectus; et quoniam Deus est infinitus in omni genere perfectionis (§. 26.), infinitus est, atque perfectissimus ejus intellectus; infinita scientia.

§. 162. *Def.* 1. Scientia Dei est; ***cognitio certa et evidens, unico purissimo actu habita, eaque de omnibus.***

§. 163. *Coroll.* Itaque Dei scientia non est uti scientia nostra; Nam primo Scientia Dei non est accidens, seu aliquid ipsi adventitium, ut in homine; sed prorsus ipsamet Dei essentia simplicissima; « Hoc » enim est illi esse, aiebat Augustinus (Lib. 7. de » Trin. C. I.), quod sapere ». Non sic autem in ho-

---

que intelligere, neque scire, neque videre, quae hic geruntur! Sed: o tempora! Quam multi sunt, qui dubitando dicunt: *Quomodo scit Deus, et si est scientia in excelso?* Quam multi effraenes blasphemi audiuntur qui convenientes adversus *Dominum, et adversus Christum ejus*, dicere audent: *Non videbit Dominus, et non intelliget Deus Jacob.* Quid iniquius! ***Filii hominum usquequo gravi corde?*** ut quid caecitatis tenebras diligitis, *et quaeritis mendacium? Intelligite, insipientes in populo, et stulti aliquando sapite. Qui plantavit autem non audiet? aut qui fingit oculum non considerat? . . . qui docet hominem scientiam?* Psal. 93. v. 8. Legatur Cap. XXII. Ecclesiastici.

minc. « Homo enim, scribit S. Thomas (De scient.
» Dei q. 14. art. 1. ad 2.), secundum diversa co-
» gnita habet diversas cognitiones. Nam secundum
» quod cognoscit principia, dicitur habere intelli-
» gentiam: scientiam vero, secundum quod cognoscit
» conclusiones: sapientiam, secundum quod cognoscit
» caussam altissimam . . . . Sed hæc omnia Deus
» una, et simplicissima cognitione cognoscit ».

Secundo scientia Dei non est habitus; sed actus simplicissimus, et purissimus.

Tertio non est discursiva, hoc est non habetur per discursum; sed in instanti per unicum simplicissimum actum. Etenim: « Non more hominum, ait
» S. Augustinus, quod futurum est, Deus prospi-
» cit, vel quod praesens est, aspicit, vel quod præ-
» teritum respicit: neque ejus cogitatio de cogitatio-
» ne in cogitationem transit, in cujus incorporeo in-
» tuitu adsunt cuncta quae novit, quoniam tempora
» ita novit nullis suis temporalibus rationibus, que-
» madmodum temporalia movet nullis suis tempora-
» libus motibus ».

Quarto. Scientia Dei non est mutabilis, et in plures actus divisa; sed aeterna, immutabilis, augumenti, atque decrementi incapax, quae de uno in aliud tempus transit. Hinc Augustinus (Lib. 2. ad Simplic: q. 2.). « Cum dempsero de humana scien-
» tia mutabilitatem, et transitus quosdam a cogita-
» tione in cogitationem, insinuatur mihi utcumque
» scientia Dei.

§. 164. *Schol.* 1. Sciéntia Divina duplex habet objectum, *Primarium* nempe, et *Secundarium*; Illud est Deus ipse, prout in se est, hoc autem est omne ens creatum, vel possibile. Ens enim omne considerari potest, vel ut possibile, hoc est, quod non repugnat ut existat; vel ut actu existens; vel ut absolute, et necessario futurum; vel ut futurum con-

tingenter, ac libere; vel tandem ut futurum sub aliqua conditione.

§. 165. *Schol.* 2. Scientia Divina sumpta secundum entitatem suam realem, non est nisi una; at sumpta relate ad res creatas, et *terminative*, ut ajunt; duplex distinguitur; Alia namque dicitur *scientia simplicis intelligentiæ*, *scientia visionis alia*; nonnulli addunt *scientiam mediam* (1).

§. 166. *Def.* 2. *Scientia simplicis intelligentiæ est illa, qua Deus res possibiles, præcise qua possibiles sunt, cognoscit;*

§. 167. *Def.* 3. *Scientia visionis est illa, qua Deus res vel existentes, vel aliquando futuras cognoscit.* Atque hæc scientia Dei decretum absolutum supponit; Etenim nihil existit, aut aliquando existet, quin a divina voluntate dependeat.

§. 168. *Def*: 4. Scientia media, secundum ejus defensores, est cognitio certa, et infallibilis, quam Deus habet de rebus conditionate futuris, ante decretum actuale, et exercitum, quo decernit, et prædeterminat illas esse futuras. His positis, quæ de scientia Dei tenenda sunt, distinctis propositionibus, exponemus.

PROPOSITIO I.

Deus perfectissime, et intuitive seipsum cognoscit, et comprehendit.

§. 169. Prob. Apud S. Matthaeum (Cap. XI. v. 27.) ait Christus: *Sicut novit me Pater, et ego agnosco Patrem.* Similiter apud Joannem (Cap. X. v. 15.), inquit: *Nemo novit Filium nisi Pater*,

(1) Antoine *Theol. univ. Tomo I. De Deo Uno art. V.* §. 1.

neque Patrem quis novit nisi filius. Apostolus quoque ad Corinthios scribens, ait (Epist. I. Cap. II. v. 11.): *Quæ Dei sunt nemo cognovit, nisi spiritus Dei.* Ergo etc.

PROPOSITIO II.

Habet Deus scientiam simplicis intelligentiæ, qua mere possibilia cognoscit.

§. 170. Nam in Ecclesiastico (Cap. XXIII. v. 29.) legitur: *Domino Deo; antequam crearentur, omnia sunt agnita*; Et Apostolus ad Romanos scribens (Cap. IV. v. 17.), inquit: *Vocat Deus, quæ non sunt, tanquam ea quæ sunt*; Hinc ad Ieremiam dixit Deus ipse (Cap. I. v. 5.): *Priusquam te formarem in utero, novi te.* Ergo etc.

PROPOSITIO III.

Deus habet scientiam visionis, qua omnia præterita, præsentia, et futura, etiam libera, et contingentia cujuscumque sunt generis, et conditionis, certo cognoscit; adeo ut ipsum non lateant intima cordium secreta, et mentis cogitationes.

§. 171. Probatur. In Libro Sapientiæ legitur (Cap. VIII. v. 8.), quod Deus *scit præterita, de futuris æstimat . . . . signa et monstra scit antequam fiant, et eventus temporum, et sæculorum.* Unde David ajebat (Psal. 138. v. 5.): *Ecce Domine tu cognovisti omnia novissima, et antiqua*: et antea (Ibid. v. 3.): *Intellexisti cogitationes meas de longe*; et iterum (Psal. 43. v. 22.): *Ipse novit abscondita cordis.* Tandem, ut alia prætereamus, Apostolus ad Hebræos scribens ait (Cap. IV. v. 13.): *Non est ulla creatura invisibilis in con-*

spectu ejus : omnia autem nuda , et aperta sunt oculis ejus : Et jam in Libro I. Paralipomenon (Cap. XXVIII.) erat scriptum : *Omnia corda scrutatur Dominus , et universas mentium cogitationes intelligit*. Ergo etc. Quare S. Augustinus (Lib: V. de Civ: Dei C. 9.) ait : « Confiteri esse Deum, et negare » praescium futurorum , apertissima insania est. »

PROPOSITIO IV.

Deus certo cognoscit contgentia conditionate futura.

§. 172. Probatur ex Scripturis. Davidi Dominum consulenti , an Saul veniret in Ceilam , et num viri Ceilæ eum in manus Saulis cum viris , qui secum erant traderent , respondit Dominus (I. Regum Cap. XXIII.), quod Saul descenderet in Ceilam , et quod Ceileitæ in illius manus eum traderent ; quo audito, David discessit a Ceila , et manus Saulis evasit ; Ergo cognovit Deus quod si David non fugeret , haud salvaretur. Deinde Christus Civitatibus Corozain , et Bethsaida exprobans ob duritiam cordis earum civium , inquit (Cap. XI. v. 21.) : *Væ tibi Corozain , vae tibi Bethsaida , quia si in Tyro et Sidone factae essent virtutes , quæ factæ sunt in vobis , olim in cilicio , et cinere pœnitentiam egissent*. Itaque praevidit Christus Dominus , et cognovit , quod si miracula facta in Corozain , et Bethsaida fuissent facta in Tyro , et Sidone, Tyrii , Sidoniique fuissent conversi ; Ergo etc. (1).

---

(1) Hæc futura conditionata , arbitrantur non pauci a Deo cognosci per *scientiam mediam*, quam ideo *scientiam conditionatorum* appellant. Verum praeter

CAPUT IV.

De medio, in quo Deus res cognoscit.

§. 173. *Def: Medium cognitionis dicitur id, in quo res aliqua cognoscitur.*

§. 174. *Schol.* In quo medio Deus omnia cognoscat, admodum difficile est definire; quare de Scholis Theologi in varias abeunt opiniones. Nec mirum quantoquidem magnus ille Augustinus, qui tam magna de Deo, rebusque Divinis, felici exitu explicaverat, hoc medium se scire non posse dixit; unde et ajebat (In Psal. 49.): » Non audeamus dicere:

---

scientiam simplicis intelligentiae, et visionis datur ne ista scientia media? Difficilissima sane haec Quaestio est, quae ipsa illustrium Theologorum semper adeo torsit ingenia, ut propterea vel ipsi ejus defensores, invicem in ea explicanda, non conveniant. Si Societatis Jesu Theologos consulas, eam ad Caelos usque evectam invenies, veluti quid divinitus patefactum ad omnes Pelagianorum, Semipelagianorum, Lutheranorum, et Calvinistarum errores circa Divinam praedestinationem, convellendos., et unicum medium ad conciliandam libertatem arbitrii cum Divina gratia. Ita Kamperger Tomo I. Quaest. VII. Art. 4. Antoinè Tomo I. Theolog. Univ. Tract. de Deo uno Cap. V. art. 5. et alii. Si Thomistas, et Scotistas interroges, audies, eam ad ima usque Tartara fere deprimi, veluti Doctrinae S. Augustini contrariam, penitus inutilem, imo faventem errori Semipelagianorum, innumerisque aliis incommodis scatentem. Ita Frassen Scotus Accademicus Tomo II. Tract. II. Disp. I. Art. II. Sect. 3. q. 3. L'Herminier Tomo I. pag. 213. Berti Lib. IV. de Theologic. Discipl. Cap. XI. Juenin Tomo II. Dissert. IV. Cap. V. art. 2. et alii. Quid Ergo? Ponderentur Auctorum argumenta, et quod rationi Teologicae, et Fidei magis consentaneum videbitur, amplectatur.

» quomodo novit Deus? Ne forte hoc a me expectetis ut explicem vobis, quomodo cognoscat Deus: » hoc solum dico, non sic cognoscit ut Angelus: » et quomodo cognoscit, dicere non audeo, quoniam » et scire non possum ». Quid nos sentiemus, secluso omni partium studio, ex sequentibus patebit.

PROPOSITIO I.

Deus cognoscit se in seipso.

§. 175. Prob. Medium, in quo res aliqua cognoscitur debet esse prius cognitum, quam res ipsa coscatur; Atqui atributum, quod in Deo primum cognoscitur est esse a se (§. 58.); imo in esse a se Essentiæ Dei formale metaphysicum constitutivum consistit (§. 59.); Ergo etc.

PROPOSITIO II.

Deus cognoscit creaturas possibiles in sua Essentia, et Omnipotentia.

§. 176. Prob. 1. p. Nam Essentia Divina habet vim infinitam repræsentandi quolibet ens; Ergo etc. Deinde: Deus, ut ratiocinatur S. Thomas (In I. Sentent dist. 35. q. 1. art. 2.) cognoscit Essentiam » suam: sed per Essentiam suam est principium re- » rum; ergo ipse cognoscit se esse principium rerum; » sed impossibile est quod cognoscatur aliquid esse » principium, nisi cognoscatur aliquid, cujus est » principium: quia qui novit unum relativorum, » cognoscit et alterum; Ergo etc. Tandem Deus perfectissime, seu comprehensive seipsum cognoscit (§. 169.); ergo illa quoque omnia, quæ in ipso, tanquam in caussa continentur, perfectissime cognoscit, tanquam in medio prius cognito; Ideoque etc.

§. 177. Prob. 2. p. Ideo aliquid possibile in sua Essentia Deus cognoscit, quia non repugnat ut illud sit; hoc est, quia ejus Omnipotentia illud producere potest, si velit; si enim ejus Omnipotentia ad illud efficiendum extendi non posset, illud intrinsecus repugnaret, et consequenter numquam foret possibile; Ergo etc.

PROPOSITIO III.

In sua Essentia cognoscit Deus res creatas.

§. 178. Prob. « Neque enim, scribit S. Dionysius (Lib. VII. de Divin. nomin.) ea quae sunt ex iis quæ » sunt discens novit Divina mens, sed ex se, et in » se per caussam, rerum omnium cognitionem, scien» tiam essentiamque anticipatam, et ante compre» hensam habet: non quod per speciem singula con» sideret, sed quod uno caussæ complexu omnia sciat » et contineat. » Nec dissimiliter loquuntur alii Patres, Ambrosius præsertim (Cap. I. in Symb.), et Augustinus (1); Ergo etc.

PROPOSITIO IV.

Deus futura libera ordinis naturalis cognoscit in determinatione suæ voluntatis, includente determinationem voluntatis humanæ.

§. 179. Prob. Nam, ut aliquod liberum sit futurum, duo necessario requiruntur; ut nempe voluntas humana pro libitu sit se determinatura ad illud ponendum; et ut Divina voluntas se determinet ad suum

(1) *Lib. XV. de Trinit. Cap. XIV. et Lib. V. de Genesi ad Litt. Cap. XV.*

concursum præstandum, alterum horum si desit, nihil erit futurum; Ergo etc. Unde Augustinus (Lib. » XXVI. Contra Faust. Cap. IV.) Illud me non la» tet sine dubio futurum, si hoc Dei voluntas habet »; et alibi (Lib. I. ad Simplic. Cap. 2.): « Deus ut » velimus et suum esse voluit, et nostrum ».

PROPOSITIO V.

Deus futura contingentia supernaturalis ordinis cognoscit in sua Essentia, supposito tamen ejus decreto, quod illa futura sint.

§. 180. Probatur prop. Ideo contingentia sunt certo futura, quia Deus libere decrevit illa esse futura, et media convenientia præstare, ut essent futura. Cum namque homo, ut in Tractatu de Gratia dicetur, divina gratia egeat ad ea quae supernaturalis ordinis sunt, peragenda, antequam Deus libere decerneret dare gratiam, ut illa efficerentur, in statu purae possibilitatis erant; illa proinde Deus in sua essentia cognovit, et ante Decretum (§. 176.); et quidem per scientiam simplicis intelligentiæ (§. 170.); Nam in essentia Dei non relucebant, nisi tantum ut possibilia. Statim ergo ac Deus decrevit illa futura esse, non amplius ut possibilia, sed ut certo futura conspiciuntur; Adeoque etc.

§. 181. Dices contra expositam doctrinam de scientia Dei. Scientia Dei evertit humanam libertatem. Etenim quæ a Deo praecognita sunt, nequeunt non evenire; Ergo non est admittenda.

§. 182. R. neg. Nam ut optime S. Justinus Martyr (Quaest. 58. ad Orthodoxos): » Non est præ» scientia caussa ejus, quod futurum est: sed quod » futurum est caussa præscientiæ. Siquidem non præ» scientiam sequitur futurum, sed futurum consequi» tur præscientia; et haudquaquam præscius est caussa

» futuri ». Quare neque ideo peccat homo, subjungit » S. Augustinus (Lib. V. de Civit. Dei Cap. X.), » quia Deus illum peccaturum præscivit; imo ideo » non dubitatur ipsum peccare, cum peccat, quia » ille, cujus præscientia falli non potest, non fatum, » non fortunam, non aliquid aliud, sed ipsum pec- » caturum esse præscivit; qui si nolit, utique non » peccat: sed si peccare noluerit, hoc etiam præsci- » vit ». Divina ergo scientia non lædit humanam libertatem, quia non imponit homini necessitatem; nec ideo aliquid nequit non evenire, quia Deus illud eventurum esse cognovit.

CAPUT V.

De Voluntate Dei.

§. 183. *Def. Voluntatis nomine intelligitur vis illa substantiæ intellectivae ingenita, quæ prævia cognitione, bonum prosequitur, malum aversatur, finem intendit, et media ad ipsius assequutionem convenientia eligit, ordinat, et amplectitur.*

§. 184. *Schol.* Esse in Deo voluntatem, Sacrae literae manifestissime ostendunt. In Genesi (Cap. XLV. v. 8.) ait Joseph fratribus suis: *Non vestro consilio, sed Dei voluntate huc missus sum.* Apud S. Mattheum (Cap. VI. v. 10.) Jesus Christus docens discipulos modum orandi, inquit: *Fiat voluntas tua sicut in Cælo, et in terra.* S. Paulus quoque ad Ephesios scribens, inquit (Cap. I. v. 11.), Deus *operatur omnia secundum consilium voluntatis suæ.*

§. 185. *Animad.* Duplici autem sensu Divina voluntas, juxta Doctores Theologos, solet usurpari. Primo pro ipsa Dei complacentia et virtute, qua bonum prosequitur, malum aversatur, et finem intendit. Secundo pro aliquo exteriori signo ipsius Divini beneplaciti, quo fit, ut quæ Deus vel præcipit, vel

consulit, vel permittit, vel implet, Dei voluntates appellentur. Priori sensu dicitur *proprie* voluntas, et quidem *beneplaciti*; posteriori autem dicitur *metaphorice* tantum voluntas, vel etiam *signi*.

§. 186. *Schol.* Porro voluntas beneplaciti in Deo licet una sit in se, et simplicissima, ratione tamen objectorum, et effectuum, ad quos terminatur multiplex est; ac primo dividitur in *antecedentem*, et *consequentem*. Voluntas Dei antecedens est illa, qua Deus ex se, et naturali sua propensione vult aliquid secundum se, nullo habito respectu ad circumstantias, quibus est exequutioni mandandum, sive interim sit efficax, sive non. Hac voluntate dicitur, Deum velle omnium hominum salutem. Voluntas autem Dei consequens est illa, qua Deus vult aliquid non secundum se præcise, sed habito respectu ad circumstantias, quibus sublatis, contrarium vellet. Ita Deus vult aliquos homines damnare. Quare voluntas Dei antecedens, inquit D. Thomas (Lib: 1. ad Annib. Dist: 47.) non habet effectum, nisi voluntas consequens adjungatur. Atque ideo quæ sola voluntate antecedente Deus vult, non adimplentur.

§. 187. *Def.* 3. *Voluntas Dei efficax est illa, quae semper suum effectum, et intentum consequitur.* Contra vero *inefficax*. Sic Dei voluntas homines salvandi, relate ad prædestinatos, qui salvantur, dicitur efficax; inefficax vero quoad reprobos.

§. 188. *Def*: 4. *Dei voluntas absoluta est illa, qua Deus vult aliquid absolute fieri.* Hoc pacto vult Deus finaliter in gratia perseverantes æterna gloria munerari. *Conditionata vero est illa, qua Deus vult aliquid sub conditione.* Hac vult Deus, ut homines, nonnisi bonis operibus, salutem consequantur æternam.

PROPOSITIO.

Datur vere in Deo antecedens voluntas omnes homines salvandi, nemine excepto.

§. 189. Prob. ex Scripturis. Apud Ezechielem (Cap. XXXIII. v. 11.) habetur: *Vivo ego, dicit Dominus Deus: Nolo mortem impii, sed ut convertatur impius a via sua, et vivat.* Est ergo in Deo vera voluntas, propria, et sincera omnes omnino salvandi, et quomodo aliter, si juramentum interponit, dicens: *Vivo ego? Homines enim per majorem sui jurant*, scribit Apostolus ad Hebræos (Cap. VI. v. 16. 17.): *et omnis controversiæ eorum finis, ad confirmationem est juramentum. In qua abundantius volens Deus ostendere pollicitationis heredibus immobilitatem consilii sui, interposuit jusjurandum.* Deinde idem Apostolus ad Timotheum scribens (Epist. I. Cap. II. v. 1. 3.): *Obsecro igitur primum omnium fieri obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones, pro omnibus .... hoc enim bonum est, et acceptum coram Salvatore nostro Deo, qui vult omnes homines salvos fieri, et ad cognitionem veritatis venire.* Quid clarius? Ergo etc.

§. 190. Prob: II. ex SS. Patribus. S. Ambrosius (Lib. de Parad: c. 8.) ita scribit; « Venerat » Dominus Jesus omnes salvos facere peccatores etiam, » circa impios ostendere suam debuit voluntatem ... » Quod in Deo fuit, ostendit omnibus, quod omnes » voluit liberare. Ideo subdit (in lib: 2. de Abel, » et Cain c. 3.): omnibus opem sanitatis detulit, » ut quicumque perierit, mortis suæ causas sibi » adscribat, qui curari noluit cum remedium haberet, quo posset credere: Christi autem mani» feste in omnes prædicetur misericordia, eo quod » ii qui pereunt sua pereant negligentia: qui au» tem salvantur, secundum Christi sententiam li-

» berentur, qui omnes homines vult salvos fieri, et » in agnitionem veritatis venire ». S. Augustinus (lib: de Spiritu, et littera c. 45.) inquit: « Si » voluntas bona, qua creditur est donum Dei, cur » non omnibus datur, cum Deus velit omnes sal- » vos fieri, et ad agnitionem veritatis venire? Vult » autem Deus omnes homines salvos fieri etc:, non » sic tamen ut eis adimat liberum arbitrium, quod » vel male utentes justissime iudicarentur. Tandem, » ut alios taceamus, S. Prosper (Resp: ad 2. Obj: » Vinc:) » Sincerissime credendum, atque profiten- » dum est, inquit Deum velle ut omnes salvi fiant. » Siquidem Apostolus, cujus ista sententia est, sol- » licitissime præcipit, quod in omnibus Ecclesiis piis- » sime custoditur ut Deo pro omnibus hominibus sup- » plicetur: ex quibus, quod multi pereunt, pereun- » tium est meritum, quod multi salvantur, salvantis » est donum » Ergo etc.

Objectiones Adversariorum solvuntur?

§. 191. *Objic.* 1. Praecipuum argumentum pro antecedenti Dei voluntate omnes homines salvandi, desumitur ex illo Apostoli: *Deus vult omnes homines salvos fieri*: Atqui nihil tale ex illo eruitur; Ergo falsa propositio. Prob: min: In Scripturis frequens est, per *omnes* intelligi multos, non vero absolute omnes; ita in Genesi habetur: *omnis caro corruperat viam suam*; et in Psalmis: *Omnes declinaverunt* ait David: (Psal: 13.) *omnes simul inutiles facit sunt, non est qui faciat bonum non est usque ad unum*; cum tamen certum sit Noe cum sua familia inventum fuisse justum, et tempore Davidis non paucos fuisse justos; Ergo a pari, cum Apostolus laudato in loco dicit omnes, multos intelligit non absolute omnes: adeoque etc.

§. 192. R. admit: auctoritates in sensu expli-

cando : n : consm : Optime scimus per *omnes*, sacris in litteris, haud semper intelligi *omnes* absolute et nemine *excepto*: sed quandoque multos, ut in allatis testimoniis, illisque similibus. Qua de re nonnullis laudatum ipsum a nobis Divi Pauli testimonium ita interpetrare placuit, ut vellet Deus, non omnes omnino homines, sed aliquos tantum, praedestinatos nempe, salvare. Sed immerito; nam si homines, unius Adae peccato, mortui sunt (dempta sola Deipara singulari Dei privilegio, ut pie creditur); et Christus Dominus, ut tolleret peccatum Mundi, pro omnibus omnino hominibus, nemine excepto, mortuus est; quomodo id fieri potuisset, si Deus antecedenti voluntate omnium et singulorum hominum non voluisset salutem?

§. 193. *Contra*. Atqui per ly *omnes*, intelligi nequit Dei esse voluntatem omnes prorsus homines salvandi; Ergo n. r. Prob: subsm. Si esset in Deo vera voluntas omnes homines salvandi, omnes homines de facto salvarentur; nam ait David (Psal. 118. v.), *Deus omnia quæcumque voluit fecit*; Atqui non omnes homines de facto salvantur; Ergo etc.

§. 194. R. Dist. maj. Si esset etc. voluntas efficax, absoluta, et consequens, conc. maj., solum antecedens; nego maj., conc. min.: et nego consm. Cum Dei voluntas est absoluta, efficax, atque consequens, tunc semper impletur; Etenim apud Danielem legitur (Cap. VI. v. 33.): *Omnes habitatores terræ apud eum in nihilum reputati sunt: juxta voluntatem enim suam facit, tam in virtutibus Cœli, quam in habitatoribus terræ, et non est qui resistat manui ejus, et dicat ei: quare fecisti?* At quando est antecedens, vel Deus ipse vult suam voluntatem impleri cum consortio, et cooperatione creaturae, tunc voluntas Dei non semper impletur. Ita in præsenti casu: vult Deus, omnes homines salvos fieri; at quoniam statuit, eos solos salvare, qui salvari

velint, et credentes in ipsum, in bono perseveraverint usque in finem; quia de facto non omnes salvari volunt, nec in bono usque in finem perseverant, non omnes salvantur. Apposite S. Hieronymus (In Cap. I. Epist. ad Ephes.): « Vult, Deus, quæcumque » sunt plena rationis, atque consilii: vult salvari » omnes, et in agnitionem veritatis venire. Sed quia » nullus absque propria voluntate salvatur, (liberi » enim arbitrii sumus) vult nos bonum velle, ut » cum voluerimus, velit in nobis et ipse suum implere consilium «. Et S. Ambrosius (Apud Tournely Tomo I. pag. 508.): Vult Deus omnes salvos fieri, si accedant ad eum: non enim sic vult, » ut nolentes salventur, sed vult eos salvari, si et » ipsi velint ».

§. 195. *Contra*. Atqui si esset in Deo vera voluntas salvandi omnes, hæc, quæcumque esset, adimpleretur; Ergo nulla r. Prob. subsm. Deus, ait Apostolus (Ad Philip. Cap. II. v. 13.): *Cujus vult miseretur*; et cum miseretur, ipsemet (Roman. 37. v. 18.) *Operatur in nobis velle, et perficere pro bona voluntate*; Ergo si Deus vellet, vera voluntate omnes salvos fieri, omnium misereretur; miserendo, in omnibus operaretur velle et perficere, quare omnes salvarentur; Atqui de facto non omnes salvantur; ergo non datur ista antecedens voluntas salvandi omnes.

§. 196. R. Dist. ans. Deus miseretur cujus vult efficaciter, et per voluntatem absolutam, et consequentem, et cum sic miseretur, operatur etc., conc. ans.; per voluntatem antecedentem solum, neg. ans, et consm. Laudata D. Pauli verba, et omnia alia, quæ in Scripturis similia leguntur, de voluntate efficaci, absoluta, et consequente intelligenda sunt, quae suum consequitur effectum. Etenim « Effectus misericordiæ Dei, ait S. Augustinus (Lib. » 3. ad Simplic. qu. 2.), non potest esse in ho- » minis potestate, ut frustra ille misereatur, si

» homo nolit. Si enim Deus miseretur: ergo jam » volumus; ad eamdem quippe misericosdiam perti- » net ut velimus: Deus enim est, qui operatur » in nobis velle, et perficere ». Media itaque efficacia, et quidem talia adhibet, quibus homo, absque præjudicio sui liberi arbitrii, vocanti consentiat, bonum operatur, et usque in finem perseveret; quippe, ut ibidem inquiebat Augustinus ipse: « Cu- » jus Deus miseretur, eum sic vocat, quomodo scit » ei congruere, ut vocantem non respuat ». Non ergo de voluntate antecedente, et conditionata loquitur ibi Apostolus, quæ non impletur, quia Deus non vult vere aut est impotens ad eam implendam, sed quia id consequenter ex parte hominis non ponitur, quod Deus vult poni ut illa impleatur. Voluntate itaque sua, quantum ex se est, vult Deus omnes homines salvos fieri, eisque propterea media ad salutem sufficientia elargitur; at quia non omnes volunt divinis obedire mandatis; et Deo vocanti per veram conversionem respondere, non omnes salvantur.

§. 197. *Objic.* II. Si Deus vellet omnes homines salvos fieri: media necessaria ad salutem consequendam præberet; Atqui non praebet: Ergo falsa thaesis.

§. 198. R. conc. maj: dist: min: non praebet media efficacia, queis de facto salvantur, conc: min: non praebet media necessaria et sufficientia quaeis possent, si vellent homines salvari n: min: Ergo etc: n: consm. Deus utpote summe bonus, clemens, et ditissimus, nemini denegat suum auxilium, et media sufficientia omnibus praeparavit et donat, ut salvi fiant. Quod si illi uti talibus mediis nolunt, et ideo de facto non salvantur, culpa ipsorum est. Hinc juste apud Isaiam (Cap. v. 4.) conqueritur Dominus: *Quid ultra potui facere vineæ mæe, et non feci? an quod expectavi ut faceret uvas et fecit labruscas.* Et apud Oseam (Cap. XIII. v. 9.) *perditio tua*

Israel; tantummodo in me auxilium tuum. Falsum est Ergo etc.

§. 199. *Contra.* Atqui Deus denegat media sufficientia ad salutem: Ergo n. r. Prob: subs: Apud Isaiam (Cap. VI. v. 10.) ait Deus: *Excaeca cor populi hujus, et aures ejus aggrava ut videntes non videant; et audientes non intelligant, et convertantur et sanem eos.* Ergo etc.

§. 200. R. admit: auctorit: in sensu explicando. Et laudata verba significant, Deum permittere ut Judaei, in poenam suorum delictorum, excæcarentur, conc; positive et absolute eos excaecare, ab eis auferendo media sufficientia ad salutem, n: Cum voluntatis Dei non sit mors impii, ut ipsemet testatur apud Ezechielem (Cap. 118.), sed ut impius convertatur a via sua mala et vivat, profecto nemini subtrahit media ad salutem consequendam sufficientia; aliter vellet simul et nollet hominis salutem; vellet quidem, ut supponitur, nollet vero quia media sufficientia non subministraret, sine quibus comparari nequit salus. Cum ergo dicitur, Deum homines excaecare, intelligendum est, Deum tantum permittere illorum excaecationem in pœnam paeccatorum ipsorum; illamque excaecationem venire positive, non a Deo, sed a peccatoribus ipsis, qui nempe propria malitia excaecantur. Nam oculos suos claudunt ne videant: dura cervice Spiritui Sancto resistunt; Et corde obdurato nolunt ad pœnitentiam flecti; adeoque etc.

§. 201. *Contra.* Atqui Deus positive denegat media sufficientia aliquibus ne salutem consequi possint Ergo n. r. Prob: subs: Multae gentes barbarae, olim inventae fuerunt, atque etiamnum inveniuntur, quae nascuntur in Sylvis, vel incognitis regionibus, ubi nihil audiunt de Deo, vel Christo; Ergo etc.

§. 202. R: neg: consm. Quicumque nascuntur in sylvis, aut in incognitis regionibus, nequaquam positive a Deo privantur mediis sufficientibus ad con-

sequendam salutem. Sicut namque sol illuminat per omnia, et nemo est, qui se abscondat a calore ejus, ita Deus, qui Sol est justitiae, illuminat omnem hominem venientem in hunc Mundum, et nemo est qui particeps non sit beneficii ipsius caloris. Nam « dedit eis Deus, ait S. Bonaventura (Lib: 1. sent: » dist. 46. art. q. 1.) naturam, secundum quam » possent eum cognoscere, et cognitum quaerere, et » invento inhaerere, ac per hoc salutem obtinere. » Gratiam similiter obtulit, dum filium misit et » obtulit, cujus praetium omnium saluti sufficit. Le» ges etiam et mandata tribuit salutis, et ostendit ». Falum ergo est qua in argumento pretendunt adversarii. (1).

CAPUT VI.

De libertate Divinæ Voluntatis.

§. 203. *Def.* 1. *Liberum* vulgo *dicitur*, *quod sui juris est*; Quare *libertas*, *generatim dici potest vis faciendi*, *quod lubet*. Et duplex distinguitur; alia nempe *a coactione*, ut ajunt, *a necessitate alia*.

§. 204. *Def.* 2. *Libertas a coactione est appetitus spontaneus rei placitæ*, *seu facultas*, *qua voluntas*, *prævia cognitione intellectiva*, *seipsum determinat delectabiliter ad actum*, *quamvis non con-*

---

(1) *De hac materia Theologi fere omnes pertractant*; *dilucidius vero*, *ac fusius*, Antoinè *Tomo I. Tract. de Deo Uno Cap. VI. art.* 4. Boucat *Tomo II. Dissert. II. art.* 2. P. Ludovicus a Morano *In Opere* Scotus Dogmaticus *etc. Disputatione III. p. 5. pag.* 126. Berti de Theologicis *Disciplinis Tomo I. Lib. I. Cap. 3.* Tournely *Tomo I. Quaest. XVII art.* 10. *plurib. argum.*, *variis ex fontibus excerptis*; nec non Dionysius Petavius *in Opere* de Theologicis *Dogmatibus. Lib. X. Cap. III. et XV.*

tingenter. Hæc voluntas vocari etiam solet *essentialis*, *et spontaneitatis*.

§. 205. *Def*: 3. *Libertas a necessitate est facultas*, *quæ positis omnibus ad agendum requisitis*, *potest agere*, *et non agere*; *vel agere hoc*, *et oppositum ejus*. Atque hæc *Moralis*, *accidentalis*, *et indifferentiæ* quoque dicitur.

§. 206. *Schol.* Porro Voluntatem Dei liberam non esse in actibus internis et immanentibus, qui ad essentiam Divinam pertinent, veluti Verbi Divini generationem, processionem Spiritus Sancti, amorem sui etc.; Theologis Catholicis notissimum est. Quod discutiendum hic venit, est, num Divina voluntas, cum agit ad extra, libera sit? Circa quod

Variae sunt Sententiæ.

§. 207. Sane consentiunt omnes sive Theologi, sive Philosophi Romanæ Ecclesiæ, non sic autem permulti modicæ, aut nullius fidei. Ac primo, inter Gentiles, Hesiodus, Democritus, Empedocles, Heraclitus, Homerus, Herodotus, Philemon, Virgilius Martialis, Ovidius, Lucanus etc. (1), Divinam Libertatem, et quidquid *ad extra*, ut ajunt, producitur abrogarunt, Deos Parcis subditos, atque Fato obnoxios effutientes. Idipsum præstarunt Stoici. Ex Christianis vero Petrus Abaelardus, Joannes Wiclefus, Martinus Lutherus, aliique dixerunt, nihil in hoc Mundo ex libera Dei voluntate evenire, sed omnia necessitate absoluta. His accensentur Joannes Calvi-

(1) Inter hos omnes ita Lucanus cecinit Lib. II.
» Sive parens rerum primum informia Regna
» Materiamque rudem flamma cedente recepit,
» Finxit in aeternum caussas qua cuncta coercet,
» Se quoque lege tenens, et secula jussa ferentem
» Fatorum immoto divisit limine Mundum.

vinus, et Martinus Bucerus, qui docere non sunt veriti, Deum necessario agere quidquid potest agere, nec cessare posse ab eo quod agit, nec quidpiam aliud agere (1). Contra quos sit.

PROPOSITIO

Dei voluntas perfectissima gaudet Libertate.

§. 208. Prob. 1. ex Scripturis. In Exodo (Cap. XXXIII. v. 19.) ait Deus Moysi: *Miserebor cui voluero, et clemens ero in quem mihi placuerit*: quod confirmat Paulus ad Romanos (Cap. IX. v. 18.) scribens: *Deus cujus vult miseretur*. In Psalmis ait David (Psal. 93. v. 1.): *Deus ultionum libere egit*; et (Psal. 140.): *omnia quaecumque voluit fecit*; quod recogitans Judas Machabaeus, cum furentes hostes contra se venientes conspexisset: *Dominum invocavit* (Lib. II. Machab. Cap. XV. v. 21.), *qui non secundum armorum potentiam, sed prout ipsi placet, dat dignis victoriam.* Tandem Apostolus ad Corinthios (Epist. I. Cap. XII. v. 11.) ita scribit: *Hæc operatur unus, atque idem spiritus, dividens singulis prout vult.* Ex quibus tale argumentum efformatur. Qui miseretur cujus vult; qui prout ipsi placet dat victoriam; qui dona sua creaturis pro lubitu distribuit, liberrimus est (§. 202.); Atqui ex adductis Sacræ Scripturæ locis, talis est Deus; Ergo etc.

§. 209. Prob. 2. ratione theologica. Deus est perfectissimus in omni genere perfectionis (§. 64.); Atqui libertas est perfectio; Ergo in Deo reperitur. Deinde si Deus in creaturarum productione, atque regimine liber non esset, illæ ab ipso non penderent

---

(1) *Vid.* Gener *Tomo II. Theol. Dogmaticae P. 1. Tract. I. Lib. III. Cap. II.*

sicut ad intra Filius a Patre non dependet, quia non libere, sed necessario ab eo genitus; Atqui absurdissimum est hoc asserere; Ergo etc. Tandem si Deus non libere, sed necessarie ageret erga Creaturas, inutile prorsus foret eum rogare, ut aliquid nobis concedat; ridiculum esset ei gratias agere pro beneficiis acceptis; ac prorsus inane minis, ac terroribus ejus concuti ad peccata relinquenda; Atqui ex Sacra Scriptura edocemur, preces ad Deum fundere (Lucæ Cap. XVIII. v. 1.); Deo gratias agere (Epist. II. ad Thessal. Cap. I. v. 3.); minas Dei offensi expavescere (Matth. Cap. X. v. 28.); Ergo etc. et propterea etc.

§. 210. Dices. Qui est liber potest agere, et non agere; agere hoc potius, quam aliud; Sed Deus ab æterno fuit determinatus; ergo indifferens non est ad agendum; ergo non est liber.

§. 211. R. conc. maj., dist. min. Sed Deus etc., libere; conc., secus, n. min. Ergo indifferens non est, dist. cons., indifferentia passiva, conc.; indifferentia activa, nego cons. Ergo etc., nego ult. consm. . Duplex indifferentia est distinguenda, *activa* nempe, et *passiva*. Prior est vis ad agendum, vel non agendum, et ei convenit, qui ad aliquid determinatum agendum non alligatur; Secunda vero est quidem vis ad agendum, sed reperitur in eo, qui aliquid libere decernens, novum actum immanentem producit, ac in se recipit: Prior competit Deo, minime secunda. Est itaque Deus indifferens indifferentia passiva, quia libere voluit quæcumque ab æterno voluit; et licet fuit ab æterno determinatus, hæc autem ejus determinatio libera fuit (1).

§. 212. *Animad.* Haec porro quo enucleatius

---

(1) *Qui plura legere cupit, consulat Auctores supra citatos suis in locis, vel alios.*

explicentur, non abs re erit animadvertere, Deum ea indifferentia non esse indifferentem, qua ponitur aliquid velle agere, vel non agere, quod antea non volebat. Id enim voluntatis potentiam indeterminatam, mutabilem, imperfectam connotat, quae Deo actui purissimo, immutabili, et perfectissimo nullatenus potest convenire. Contra vero illud Deo indifferentiæ genus non repugnat, cujus vi, libere potest agere, vel non agere; sive vi cujus ad agendum, vel non agendum libere se determinat: atque ita omnia, quaecumque ab aeterno voluit, et determinavit, libere voluit, et determinavit.

CAPUT VII.

De objecto Divinæ Voluntatis.

§. 213. *Animad.* Per Objectum Divinæ Voluntatis intelligitur omne id, quod habet rationem boni Duplex est autem Divinæ Voluntatis objectum, *Primarium* nempe, seu *motivum*, ut ajunt, et *Secundarium* sive *terminativum*; vel ut alii dicunt *formale*, et *materiale*.

§. 214. *Def. Primarium Objectum Divinæ voluntatis dicitur illud, ad quod Divina Voluntas principaliter fertur, seu quod per se primo voluntatem movet, et propter quod fertur ad cætera. Secundarium vero est illud, ad quod ultimo fertur.* Porro quodnam sit objectum primarium voluntatis Dei.

Discrepantia est inter Theologos.

§. 215. Quidam volunt illud esse ipsam Dei bonitatem, at non essentialem, sed attributalem: Alii vero cum discipulis de Schola Præceptoris subtilis Scoti tuentur, illud esse ipsam Dei bonitatem essentialem. Quod vero attinet ad objectum secundarium,

fatentur omnes esse quidem Deum, et creaturas, at non omnes conveniunt in illius extensione assignanda. Volunt quidam cum Suarez, creaturas mere possibiles non esse objectum Divinæ voluntatis; oppositum sustinent cæteri. Sed haec mera Scholarum, et Auctorum opinamenta sunt; quae Catholicam fidem nihil laedunt. Illud blasphemum est, atque impium, quod asserunt Calvinus, Zuinglius, et Beza; Deum nempe ab æterno peccata omnia positive decrevisse, et in tempore Diabolo, et sceleratis hominibus præcipere, ipsos inclinare, impellere, et cogere, ut alios ad peccandum inducant (1).

PROPOSITIO I.

Objectum primarium Divinæ voluntatis est ipsius Dei bonitas essentialis, sive essentia Divina.

§. 216. Prob. 1. ex Scripturis. In Proverbiis legitur (Cap. XVI. v. 4.): *Universa propter semetipsum operatus est Dominus*. Apud Isaiam (Cap. XLV. v. 24.) ait Deus: *Mihi curvabitur omne genu*; Et in Deuteronomio (Cap. XXXII.): *Videte*, inquit, *quod ego sim solus*; quibus omnibus, satis ostendit Dominus, se quærere gloriam suam, atque seipsum primario diligere; Ergo etc.

§. 217. Prob. 2. ratione Theologica. Objectum Divinae voluntatis est bonum, sed nullum majus bonum datur præter Deum: *Unus est enim bonus Deus*, ait Jesus Christus (§. 38.); Ergo etc.

---

(1) *Vid.* Franciscus Henno *Tomo. I. Tract. de Deo Uno Disp. VI. q. 4. Concl. 3.*

PROPOSITIO II.

Objectum secundarium Divinæ Voluntatis sunt Creaturæ omnes, sive in aliqua temporis differentia existentes, sive possibiles.

§. 218. Prob. 1. p. Divina voluntas fertur in bonum; Atqui ex Apostolo (Epist. I. ad Timoth. Cap. IV. v. 4.): *Omnis creatura Dei bona est*: *Nam vidit Deus cuncta quæ fecerat, et erant valde bona* (Genes. I. v. 31.); Ergo etc.

§. 219. Prob. 2. p. Creaturae possibiles habent possibilem bonitatem; sed bonum est objectum Divinae voluntatis (§. 213.); Ergo etc.

PROPOSITIO III.

Mala pœnæ per se, et directe non sunt objectum Divinæ Voluntatis, sed per accidens, et indirecte.

§. 220. Prob. 1. p. Deus nihil vult directe, nisi quod in se bonum est; atqui mala poenae in se bona non sunt; nam effectus sunt culpae originalis, atque homines vexant; Ergo etc.

§. 221. Prob. 2. p. Illud Deus per accidens vult, et indirecte, quod ipse vel ad servandum naturae ordinem, vel ad sua attributa exterius manifestanda fieri vult; Atqui Deus vult mala poenae; Nam in Deuteronomio ait (Cap. XXXII. v. 23.): *Congregabo super eos mala*; et apud Isaiam (Cap. XLV. v. 7.): *Ego Dominus creans malum*; Unde Amos (Cap. III. v. 6.): *Si erit malum in Civitate, quod Dominus non fecerit*; Ergo ea indirecte vult, vel

ad servandum naturae ordinem, vel ad sua attributa, veluti justitiam erga impios, erga pios providentiam, ostendendam. Quare sub ratione boni ea vult (1).

PROPOSITIO IV.

Mala culpæ, sive peccata, nullimode sunt objectum Divinæ Voluntatis.

§. 221. Prob. 1. ex Scripturis. In Libro Sapientiae habetur (Cap. XIV.): *Odio sunt Deo impius, et impietas ejus;* et Psalmista (Psal. 3.) ait Deo: *Quoniam non Deus volens iniquitatem tu es.* Quare D. Jacobus fideles admonens; *Nemo*, ait, (Cap. I.) *cum tentatur, dicat, quoniam a Deo tentatur, Deus enim intentator malorum est.* Ergo etc.

§. 222. Prob. 2. ex Concilio Tridentino, in quo ita statutum legitur (Sess. VI. Can. 6.). *Si quis dixerit non esse in potestate hominis, vias suas malas facere, sed mala opera, ita ut bona, Deum operari, non permissive solum, . . . anathema sit.*

---

(1) Discant vel ex hoc nostri temporis Increduli, mala, quae in Mundo eveniunt, non a casu, non a Natura, quae suum exequitur cursum, sed a Deo volente, atque imperante evenire. Creatae res vi quidem activa a Deo praeditae sunt, et agunt revera, et naturales effectus, juxta praestitutum Naturae ordinem, producunt; Unde et terremotus, et ignes, et tonitura, et grandines etc. naturaliter eveniunt; sed quis nescire poterit, omnia a Dei nutu ita pendere, ut quoties voluerit, armabit *Creaturam ad ultionem inimicorum*? (Sap. V. v. 18.) *Nonne scriptum est* (Eccles. XXXIX. v. 35.): *Ignis, grando, fames, et mors, omnia haec ad vinctam creata sunt?*

§. 223. Prob. 3. ratione theologica. Deus jubet nos legem suam observare; sed peccatum legi Dei adversatur; Ergo Deus non vult peccatum. Deinde, si Deus vellet peccatum, peccata in homine non puniret; Atqui omni malorum genere, tam in praesenti vita, quam in futura ea punit; Ergo etc. Ulterius, si Deus vellet peccatum, id ideo esset, quia appeteret peccatum vel sub ratione mali, vel sub ratione boni; Atqui neutrum dici potest: non primum, quia objectum voluntatis Dei est bonum, non malum; non secundum, quia Deus, utpote sapientissimus, errare nequit, ac proinde malum sub ratione boni sibi repraesentare non potest. Ergo etc.

§. 224. Dices. Si Deus nollet peccata, ea ab hominibus non fierent; quis enim potest Dei resistere voluntati? Sed peccata patrantur ab hominibus; Ergo Deus ea vult; Adeoque etc.

§. 225. R. Dist. maj. Si etc., ab hominibus non fierent; si nullas haberet Deus rationes ea permittendi, conc.; secus, n. maj. Sed peccata etc., Deo, justas ob rationes permittente, conc.; secus, nego min., atque utramque consam. Peccata ab hominibus, Deo nolente, sed solum permittente fiunt; idque justis de caussis (§. 98.): « Nec ideo » apposite S. Augustinus (Sem. 214. in trad. Symb. n. 3.) « credant impii, Deum non esse omnipotentem, quia » multi contra ejus faciunt voluntatem. Quia et cum » faciunt quod non vult, hoc de eis facit quod ipse » vult. Nullo modo igitur Omnipotentis vel mutant, » vel superant voluntatem: sive homo juste damne» tur, sive misericorditer liberetur, voluntas omni» potentis impletur ».

§. 226. *Contra*. Atqui Deus non solum permittit, sed effective vult peccata, ergo n. s. Prob. subsm. Qui aliquem ad peccandum impellit; qui alicui præcipit ut malum aliquod faciat, is certe vult absolute peccatum; Atqui Deus induravit cor Pharaonis ut fu-

neret adversus Judaeos (Exodi. Cap. IX. v. 11.); atque Semei praecepit ut malediceret David (II. Regum Cap. XVI. v. 11.); Ergo etc.

§. 227. R. Haec, et si quae sunt ejusmodi in Sacris Scripturis, de permissione Dei, non de voluntate ejus absoluta sive directa, sive indirecta intelligenda sunt. Revera si Deus ipse Pharaonem indurasset, et non potius ille, divino judicio, se indurasset, ut quid Deus eum in Mari rubrò cum exercitu suo submersit? Injustus ergo est Deus? Et si Semei non solum Deo permittente, sed volente maledixisset David, ut quid David eum morte dignum decrevit? Iniquus ergo, et injustus vindex David? Absit. Igitur etc.

Quaeres. *An Deus, necessitate aliqua, saltem morali, teneatur semper decernere optimum?*

§. 228. R. neg. Nam creatae res cum sint contingentes, aliter atque aliter, se habere possunt, et quomodocumque concipiantur perfectae, semper aliquid eis perfectius cogitari, et esse potest; unde et perfici et ipsae semper, atque semper possunt; Ergo nequit esse aliquid in Mundo, quod sit factum, et in tota sua natura et extensione sit optimum. Deinde si Deus cogeretur, etiam sola necessitate morali, ad decernendum semper optimum, hic Mundus esset omnium possibilium optimus, nec Deus alium isto meliorem condere potuisset, vel posset; Atqui hoc est absurdum, et Dei derogat libertati, Omnipotentiae, et Sapientiae; Ergo etc.

§. 229. *Animad.* Ex his autem cave ne inferas, ea quae Deus decrevit, et facit pecfecta non esse, atque optima, ea nempe perfectione, quae *finis perfectio* appellari solet. Cum enim Deus sit agens Sapientissimus (§. 161.), et liberrimus (§. 207.), propter finem agere debet; Cumque sit omnipotens, et omnia agere queat ad finem consequendum necessaria; procul dubio, quae ipse decernit, atque facit,

nonnisi optima et perfecta sunt. Unde in Genesi (Cap. I. v. 31.) legitur: *Vidit Deus cuncta quae fecerat: et erant valde bona*; et in Deuteronomio (Cap. XXXII. v. 4.): *Dei perfecta sunt opera.* Itaque si optimum accipitur pro eo, quo nihil melius aut perfectius in rerum natura decerni potest, atque fieri, et tunc Deus nulla necessitate tenetur optimum decernere; si vero optimum accipitur relate ad fines quos sibi in eo decernendo, et faciendo Deus praefixit, et tunc quidquid Deus decernit, atque facit optimum; atque perfectum est, utpote in pondere, numero, et mensura factum, et perfecte finibus illius congruit.

Quaeres: *Utrum dentur Divinae voluntatis Decreta?*

§. 232. R. Aff. Nam ait Isaias (Cap. XIV.): *Dominus exercituum decrevit; et quis poterit infirmare?* In Libro Esther legitur (Cap. XIII.): *Non est qui possit resistere voluntati tuae si decreveris;* Ergo etc. (1).

(1) Vid. Contenson Tomo I. Theolog. mentis et cordis, Lib. II. Dissert. IV. Cap. II. Specul. 3. At sunt ne ista Decreta antecedentia, concomitantia, vel subsequentia? Difficilis quaestio. Dicant quod velint Theologi; Nos non plus sapere putamus, quam oportet. *Quis enim novit sensum Domini, aut quis consiliarius ejus fuit* (Roman. II. n. 28.), ut scire possit; quae, quomodo, et quando decreverit? In genua, proinde potius provoluti; Decreta Dei adoremus, Deo Patri per Jesum Christum dicentes: *fiat voluntas tua sicut in Caelo, et in Terra.*

CAPUT VIII.

De Divina Providentia.

§. 233. *Def.* 1. *Providentia*, ex Damasceno (Lib. II. de fide Cap. 29.), *est Dei voluntas, per quam res omnes apte, congrueque gubernantur.* Clarius: *Providentia est actus Divinae voluntatis ad extra, quo res omnes per media convenientia, in fines suos dirigit.*

§. 234. *Animad.* Ad providentiam vere dictam duo actus necessario requiruntur, unus ex parte intellectus, quo nempe cognoscit Deus media, eorumque proportionem ad finem praestitutum; alter ex parte voluntatis, quo velit media opportuna procurare, atque ponere ad finem eundem consequendum.

§. 235. *Schol.* Quoniam vero res omnes vel naturales sunt, vel supernaturales, hinc providentia alia est *naturalis*, alia *supernaturalis*. Prior est illa, qua Deus omnia, etiam vilissima sive animata, sive inanimata ad proprium finem naturalem dirigit; Posterior vero est illa, qua Deus creaturas rationales ad finem supernaturalem dirigit per media supernaturalia. Haec *specialis* quoque dicitur, illa *universalis*. Sed datur ne in Deo proprie dicta Providentia?

Dissidium est inter Auctores.

§. 236. Qui Mundum hunc a Deo factum fuisse negarunt, Dei quoque providentiam circa ipsum e medio sustulerunt. Inter antiquos providentiae hostes, non immerito censentur Democritus, qui otiosum Deum dixit, Claudianus, Heraclitus, Sophocles, Euripides, Epicurus cum suis sectatoribus; Empedocles, aliique non pauci; unde et apud Job (Cap. XXII. v. 14.) illa impiorum suasio: *Quid novit Deus? . . . . nec nostra considerat, et circa cardines Caeli perambu-*

lat. Plato quoque divinae providentiae detraxit, cum docuit, ipsam non extendi ad omnia, veluti ad animalia, et alia corruptibilia. Augustus quoque Caesar asserere non dubitavit, Deum de solis Proceribus, relictis aliis vulgaribus hominibus, curam habere (1). Gnostici, Deum de hominibus tantum providentiam habere dixerunt; et ut alios taceamus, Priscillianistæ, animas et corpora hominum stellis adstringi effutierunt. At quam nequiter, mox patebit.

PROPOSITIO I.

Datur in Deo Providentia, eaque ad omnia creata, etiam minutissima se extendit.

§. 237. Prob, 1. ex Scripturis. Ac primo quidem datur circa homines Dei Providentia. Nam ait David (Psal- 32. v. 15.): *De Caelo respexit Dominus, vidit omnes filios hominum . . . Qui finxit sigillatim corda eorum: qui intelligit omnia opera eorum;* et alibi (Psal. 36. v. 23.): *Apud Dominum gressus hominis dirigetur*: Deus, inquit Anna (I. Regum Cap. II.): homines *mortificat, et vivificat, deducit ad inferos, et reducit. Dominus pauperem facit, et ditat, humiliat, et sublevat.* Unò verbo (Sapientiae Cap. VI. v. 17.): *In omni providentia occurrit illis; et aequaliter cura est illi de omnibus* (Ibid. v. 8.); propterea *solem suum oriri*

(1) Quare *Lucanus* (Lib. V.) Caesarem ita milites suos tumultuantes alloquutum fuisse dicit:
» . . . . . . Numquam se cura Deorum
» Sic premit, ut vestrae vitae, vestraeque saluti
» Fata vacent. Procerum motus haec cuncta sequuntur.
» Humanum paucis vivit genus.
Legatur Gener. Tomo II. p. 3. Tract. 8.

facit super bonos; et malos (Matth. Cap. V. v. 45.); *et pluit super justos, et injustos.* Unde laudatus David monet, dicens (Psal. 54. v. 23.): *Jacta super Dominum curam tuam; et ipse te enutriet*; et Apostolorum Princeps (Epist. I. Cap. IX. v. 7.) vult, ut omnes sub potenti manu Dei humilientur, subjungens: *Omnem sollicitudinem vestram projicientes in eum, quoniam ipsi cura est de vobis.* Secundo datur providentia circa animalia caetera, et res omnes hujus Mundi. Nam ipse Deus: *præcipit Soli, et non oritur: et stellas claudit quasi sub signaculo* (Job. Cap. IX. v. 7.): Ipse *dat ventis pondus, et parat terræ pluviam* (Psal. 146. v. 8.): ipse terminos mari constituit, quos praeterire nequit (Proverb. Cap. VIII. v. 29.): Ipse *ponit pluviis legem, et viam procellis sonantibus* (Job. Cap. XXVIII. v. 26.); Ipse *dabit benignitatem: et terra nostra dabit fructum suum* (Psal. 84. v. 13.). Ipse *aperit manum suam* (Psal. 144. v. 16.) *et implet omne animal benedictione.* Quare Christus Dominus erigere volens infirmitatem nostram, ut in Deo Patre plene confidamus, ait apud S. Matthaeum (Cap. VI. v. 26.): *Respicite volatilia Cæli, quoniam non serunt, neneque metunt, neque congregant in horrea: et Pater vester Cælestis pascit illa . . . . . Considerate lilia agri quomodo crescunt; non laborant, neque nent . . . . . Si autem fænum agri, quod hodie est, et cras in clibanum mittitur, Deus sic vestit; quanto magis vos modicæ fidei?* Et alio apud eumdem (Cap. X. v. 29.): *Nonne duo passeres asse veneunt; et unus ex illis non cadet super terram sine Patre vestro? Vestri autem capilli capitis omnes numerati sunt.* Si ergo Deus curam habet de hominibus, de animalibus, de elementis, de plantis, etiam de capillis capitis, proculdubio datur in Deo Providentia. Unde Auctor Libri Sapientiae, Deum alloquens, ait (Cap. XIV. v. 3.): *Tua autem Pa-*

ter, *Providentia gubernat*; Et Ecclesiastes (Cap. V. v. 5.) unumquemque monens, ait: *Ne dicas coram Angelo*: *non est Providentia*: *ne forte iratus Deus contra sermones tuos*, *dissipet cuncta opera manuum tuarum*.

§. 238. Prob. 2. ratione. Si Deus rebus creatis non provideret, id esset, vel quia illæ ejus providentia non indigent, vel quia ipse aut nescit, aut non potest, aut non vult eis providere; Atqui si quid horum verum esset, et creaturae non essent contingentes, et, Deus non esset Deus; Ergo etc. Prob. min. Si creaturae providentia non indigent, sunt sibimetipsis sufficientes ad propriam conservationem, gubernationemque, sed cum conservatio sit continuata creatio, idcirco ad creationem non magis, quam ad conservationem vis infinita requiritur, illa res ex nihilo trahens, ista ne in nihilum revertantur, easdem apprime conservans, creaturae vi infinita præditæ erunt, seipsas si conservare valerent; atqui hoc est absurdum; Ergo etc. Deinde si Deus rebus non provideret, aut quia nescit, aut quia non potest, aut quia non vult eis providere, non esset summe Sapiens, Omnipotens, et bonus; Sed qui omniscius non est, omnipotens, et bonitas infinita, Deus non est; Ergo etc. Ad rem Lactantius (Lib. de ira Dei Cap. IV.). *Si*, Deus *nihil curat*, *nihil providet*, *amisit omnem divinitatem*. Deinde si Deus rebus non providet, *quæ nobis Divinæ Religionis est ratio*, ait Salvianus (Lib. I. de Provid.), *quæ vel caussa Christum colendi*, *vel spes propitiandi? Si enim negligit Deus in hoc sæculo genus hominum*, *cur ad Cælum quotidie manum tendimus? Cur orationibus crebris misericordiam Dei quærimus? Cur ad Ecclesiasticas domos currimus? Cur ante altaria supplicamus? Nulla est enim nobis ratio precandi*, *si spes tollitur impetrandi*: *Vide ergo quam stulta atque inanis sit*

hujus persuasionis assertio, quæ utique si recipitur, nihil penitus de Religione servatur (1).

Argumenta opposita solvuntur.

§. 239. *Objic.* 1. Si daretur in Deo Providentia, nihil fortuito, et casu accideret in Mundo; Atqui, ut ex pluribus Sacræ Scripturæ locis patet (2); multa casu eveniunt; Ergo etc.

§. 240. R. conc. maj., dist. min. Atqui etc., respectu nostri, conc.; respectu Dei, nego min., et consm. Cum casus sit effectus absque caussa efficiente; quoties aliquid accidit vel præter intentionem, vel de quo caussam efficientem non agnoscimus, dicimus illud fuisse a casu, vel fortuito evenisse. At quoniam Deo omnia nuda sunt, et aperta præsentia, præterita, futura, possibilia; atque nexus, ordo, ratio rerum omnium, nihil proinde respectu Dei casu, vel fortuito accidit, sed omne summo consilio, atque providentia. Unde Boetius (Lib. I. de consol.): » Licet casus, inquit, sit inopinatus eventus ex con- » fluentibus caussis in his quæ propter aliud gerun- » tur, tamen concurrere, atque confluere facit caus- » sas ordo ille ex inevitabili connexione procedens,

---

(1) Has, aliasque hujuscemodi pro Dei Providentia probationes, paucis complectitur Abas Bergier nel Dizionario ragionato di Teologia V. *Providenza*, dicens. « Se Dio non prendesse cura delle cose di questo Mon- » do, specialmente delle creature intelligenti, egli sa- » rebbe inutile per noi, e ci sarebbe molto indifferente » il sapere se esista. Sarebbero parole vuote di senso » la Bontà, la Sapienza, la Giustizia, la Santità, che » gli attribuiamo. La Morale non sarebbe altro che una » vana speculazione, e la Religione un assurdo ».

(2) *Numeri Cap. XXXV. v. 22. I. Regum Cap. VI. v. 9. et alibi.*

» qui de Providentiæ fonte descendens, cuncta suis » locis, temporibusque disponit ».

§. 241. *Contra.* Atqui multa revera casu eveniunt, etiam respectu Dei; Ergo n. r. Prob. subs. Deus, ex Scriptura, diligit justos, odit iniquos; Ergo si esset in eo providentia, et nihil casu respectu sui eveniret, justi deberent bonis in hoc Mundo abundare, iniqui contra tribulationibus affligi; Atqui oppositum continuo videmus; nam impii, ut plurimum felicem vitam agunt, miseram, atque egentem justi; Ergo etc.

§. 242. R. Disting. 1. cons. Si esset etc., si nulla ratio esset aliter operandi, concedo; secus, nego consm.; et dist. min. subs., et; Atqui etc.; et aliunde justa ratio est ita operandi, conc., secus, n. min: subsm, et consm. Dominus diligit justos, eisque bona invisibilia præparavit, et talia, ut teste Apostolo (Epist. I. ad Corinth. Cap. II. v. 9.), nec oculus viderit, nec auris audierit similia; sed in altera vita. Hic autem cum electi, et prædestinati debeant esse conformes imagini Filii sui, sicut iste in laboribus et in cruce fuit semper, nihil mirum si et illi afflictionibus præmantur: Quare Apostolus his verbis justos tribulatos solatur (Roman. Cap. VIII. v. 17.): *Si tamen compatimur, ut et conglorificemur. Existimo enim, quod non sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis.* Deus odit iniquos, et simul est justus. Cum ergo nihil debeat esse irremuneratum apud Deum, quia impii, ut ut impii, quandoque etiam aliquod morale bonum agant, bonum istud mercede dignum est, si non quidem æterna, saltem temporali. Et en quomodo vel ipsi perditissimi homines, divitiis affluunt, et ducunt in bonis dies suos. At miseri, et infelices! receperunt hic mercedem suam: quare in puncto ad Inferna descendunt (Job. XXI. v. 13.).

§. 243. *Contra.* Atqui si esset in Deo provi-

dentia, nullo modo sineret pios vexari, lætari impios; Ergo nulla resp. Prob. sub. Non raro justi miseriis, atque calamitatibus pressi, deficiunt, atque in peccata prolabuntur; et impii, bonis, atque facultatibus affluentes, magis superbiunt, et adversus pios confortantur, et opprimunt innocentes; Atqui hoc est indignum Deo: Ergo etc.

§. 244. R. Verum est, nonnullos in gratia Dei positos, in tribulationibus quandoque deficere; at isti vere justi dicendi non erant; illa nempe justitia præditi, quæ igne pœnarum, quasi aurum probata, invenitur in laudem, et honorem; qui namque vere justi sunt, gaudent in tribulationibus, scientes quoniam *tribulatio* (Roman. Cap. V. v. 3.) *patientiam operatur, patientia vero spem, spes autem non confundit;* Unde Salomon (Proverb. Cap. XII. v. 21.): *Non contristabit justum quidquid acciderit ei.* Quoniam ergo per multas tribulationes oportet nos introire in regnum Dei, ad providentiam Dei spectat efficere, ut Christiani tribulationibus exerceantur; quod si ipsi in tribulationibus positi deficiunt, ipsorum malitia est, et simul signum, de numero verorum filiorum Dei eos non esse; quippe qui disciplinam renuunt quam dat illis Cœlestis Pater. Quod vero impii, beneficiis Dei in malum abutantur, non ideo culpanda est Dei providentia. Quantum ex se est, quod bonum, et justum est agit Deus, miser qui Dei beneficiis abutitur. Ordo Divinæ providentiæ non turbatur, durior tamen erit impii perditio. Audiatur S. Augustinus, qui de Juda discipulo, et proditore sic loquitur (Serm. 125. alias 15. ex Sirmondianis n. 5.): « Noli putare, quia turbas consilium Dei, » si perversus esse volueris. Qui creare te noverat, » ordinare te non novit? . . . . Quid dictum de Juda » ab Apostolo? Abiit in locum suum. Operante utique Divina providentia, qui per malam voluntatem » malus esse voluit, non autem Deus malum ordi-

» nando fecit; sed quia ipse malus peccator esse vo-
» luit, fecit quod voluit, sed passus est, quod no-
» luit. In eo, quod fecit quod voluit, peccatum ejus
» deprehenditur: in eo quod passus est quod noluit,
» ordo Dei laudatur ».

§. 245. *Objic.* 2. Dedecet Divinam majestatem curam genere de minutissimis rebus hujus Mundi; Ergo etc.

§. 244. R. Si Divinam majestatem non dedecet tam vilia, et minuta condere, multo minus dedecet eis providere, ut ad præstitutos fines perducat. Apposite S. Ambrosius (Lib. II. de Offic. Cap. XIII.): « Quis operator, ait, negligat operis sui curam?
» Quis deserat, et destituat, quod ipse condendum
» putavit? Si injuria est regere, nonne major inju-
» ria est fecisse? Cum aliquid non fecisse nulla in-
» juria sit, non curare quod feceris summa inclé-
» mentia »?

§. 245. *Contra.* Atqui omnino dedecet Divinam majestatem curam gerere de minutissimis rebus hujus Mundi; Ergo n. r. Prob. subsm. Dedecet Principem hujus Mundi de minutissimis rebus curam habere; Ergo a fortiori, omnino etc.

§. 246. R. Dist. ans. Dedecet si pro sui muneris ratione de illis curam habere non teneatur, conc., secus n. ans.; Ergo etc. n. consm. In falsa mundanorum sententia, Principem dedecet minutissimis prospicere; at non quando illa minutissima illius curæ, ac providentiæ sunt commissa; tunc enim, rem concreditam non servando, suo muneri deesset, ac pro admisso defectu digne justeque foret corripiendus. Quare cum Dominus pusillum, et magnum fecerit, atque ad proprios fines direxerit; cumque res creatæ, ut conserventur, et ad fines perducantur, Dei perpetua conservatione, et cura indigeant, eis Deus providere necessario debet. Et propterea, non solum Divinam majestatem non dedecet illis providere, sed ma-

xime etiam ei convenit, suæ vigilantiæ, dominioque consentaneum esse reputabitur.

§. 247. *Contra.* Atqui dedecet; Ergo n. r. Prob. subsm. » Absurdum est, ait S. Hieronymus (In Cap. I. Habacuc.), ad hoc Dei deducere majestatem, ut sciat per momenta singula quot nascantur culices, quotve moriantur; quae cimicum, » et pulicum, et muscarum sit in terra multitudo; » quanti pisces in aqua natent, et qui de minoribus » majorum praedae cedere debeat ». Ergo etc.

§. 248. R. Jure ait S. Hieronymus, absurdum esse ad hoc majestatem Dei deducere, ut sciat per momenta singula, hoc est successive, quemadmodum et nos. Deus enim unico actu scit omnia, nec quidquam est quod eum lateat; Nihil ergo ex ejus testimonio contra Dei providentiam. Cæterum dicere possumus, præfatum Doctorem solum negare eamdem esse, et æqualem providentiam et hominum, et rerum vilissimarum hujus terræ; quo sensu scripsit etiam Apostolus ad Corinthios (Epist. I. Cap. IV. v. 9.); *Numquid de bobus cura est Deo?* Revera immediate post laudata verba sequitur: » Non simus tam fatui adulatores Dei, ut dum potentiam » ejus, etiam ad ima detrahimus, in nos ipsos injuriosi simus, eamdem rationabilium, quam irrationabilium providentiam esse dicentes » (1).

---

(1) Vide plura apud Frassen *Tomo II. Disp.* III. *art. 3.* Tournely *Tomo I.* Q. XXI. Juenin T. II. Q. 13. Dupasquier *Tomo I. Disp.* XI. Q. I. Henno *Tomo I. Disp.* VIII. per totum.

PROPOSITIO II.

Deus Providentia sua ita hominum saluti consulit, ut omibus necessaria paraverit ad æternæ salutis consequutionem.

§. 249. Prob. 1. ex Scripturis. In Isaia legitur (Cap. XXVI. v. 12.): *Omnia opera nostra operatus es in nobis Domine.* Et alibi (Cap. LXII. v. 16.): *Ducam cæcos in viam, quam nesciunt.* Per Ezechielem ait Deus ipse (Cap. XXXVI. v. 27.): *faciam ut in præceptis meis ambuletis.* S. Paulus quoque ad Corinthios scribens (Epist. I. Cap. XII. v. 6.) ait: *Deus operatur omnia in omnibus.* Et ad Philippenses (Cap. II. v. 13.): *Deus est*, inquit, *qui operatur in nobis et velle, et perficere.* Si ergo Deus omnia in omnibus operatur; si cæcos per viam ducit; si facit ut in præceptis ejus ambulemus; si et velle et perficere operatur in nobis, proculdubio, ita Providentia sua etc.

§. 250. Prob. 2. hac ratione: Qui vult finem, et media quoque subministrare debet ad consequendum finem conducentia; Atqui Deus vult omnes homines salvos fieri (§. 189.); Ergo et media necessaria parare, ac praebere debet ut omnes homines salventur; Adeoque Deus providentia sua; etc.

§. 251. Dices. Multi infantes in matrum utero moriuntur, non pauci etiam statim nati, quin baptizentur, e vita discedunt; Atqui hoc non esset, si Deus omnibus media necessaria paravisset ad æternæ salutis consequutionem; Ergo etc.

§. 252. R. Quantum ex se est, Deus cunctis media paravit necessaria, ut salventur; quod si multi pueri absque baptismo pereunt, id non est defectu Divinæ providentiae, sed ex cursu caussarum secundarum, quas Deus agere sinit, juxta ordinem ab eadem sua providentia praestitutum. *Sic* enim, ait S.

Augustinus (Lib. VII. De Civit. Dei Cap. XXX.), Deus, *administrat omnia, quæ creavit, ut etiam ipsa proprios exercere motus sinat.* Vult ergo Deus pueris media parare ut salventur, sed vult quoque ut naturae cursus servetur; quia vero naturae cursus fert ut infans moriatur, media illa infanti non applicantur quoad effectum. Quare « non est ex defectu di» vinae misericordiae, ait S. Thomas (In n. dist: » 6. q. 9. art: 1.); quod (infantibus) in maternis » uteris existentibus remedium non exhibetur, sed » quia non sunt capaces illius remedii, per quod se» cundum legem communem participes passionis Chri» sti efficiantur, a quo est remissio peccatorum; » quia non possunt subjici operationibus Ministrorum » Ecclesiae, per quos talia remedia ministrantur ». At posset Deus efficere, ut infantes illi non moriantur? Posset utique potentia extraordinaria; Omnia enim nutui ejus obtemperant. Cur ergo non facit? Quia liberrimus, et quia ordinarie, Mundum gubernare decrevit secundum leges a se statutas, non vero continuis miraculis. Sed egit hoc Deus cum parvulis multis, quos a morte servavit donec ad baptisma pervenirent, cur non ergo cum omnibus? Utique. Sed tu quis es qui talia perscrutari audes? Judicia Dei abyssus multa; sed licet occulta plurima tamen injusta nulla (1).

CAPUT IX.

De Prædestinatione, ejusque certitudine, ac signis.

§. 253. *Def. Prædestinatio*, secundum nomen, ***nihil est aliud quam determinatio rei alicujus antequam fiat;*** componitur quippe ejus vocabulum ex præposi-

---

(1) ***Vide*** **Franc. Henno *Tract. de Princip. Act. Human. q. 2. de suffic. gratiae art. 3.* Gener *Tomo II. Theolog.* §. 625.**

tione *prae*, et nomine *destinatio*. Quod vero ad rem attinet praesentem, *Prædestinatio*, ex S. Augustino (Lib. de dono perseverantiae Cap. XIV.): *nihil est aliud, quam præscientia, et præparatio beneficiorum Dei, quibus certissime liberantur, quicumque liberantur*. Clarius autem, atque dilucidius, nisi mea me fallit opinio, sic potest describi: *Prædestinatio est efficax divinæ voluntatis determinatio dandi aliquibus hominibus gloriam æternam, eisque media efficacia elargiendi, quibus eam illi, suo tempore, certissime consequantur*. Quare non immerito Doctor subtilis: *Prædestinatio*, inquit (In III. Dist. VII. q. 5.), *est præordinatio alicujus ad gloriam principaliter, et ad alia in ordine ad gloriam*. Circa quam talia sunt.

Auctorum placita.

§. 254. Quotquot animarum immortalitatem, vitam æternam, atque quamcumque Dei, quoad supernaturalia dona erga homines, providentiam negarunt, prædestinationem quoque ad gloriam non agnoverunt. Idipsum præstarunt Valentiniani, Marcionitæ Basilidiani, eorumque fautores, putantes quemlibet hominum, natura sua nasci bonum, aut malum, prædestinatum, aut reprobum. Pelagiani quoque, atque Semipelagiani multa errorum monstra circa Divinam praedestinationem effutiunt; illi asserentes prædestinationem fieri ex praevisis meritis solius liberi arbitrii, isti vero dicentes: Deum prædestinare ex prævisione meritorum gratiae, sed hanc gratiam dari conatibus naturæ (1). Catholici, e contra, prædestinationem Divinam, ut dogma Catholicæ fidei tuentur; at inter se non conveniunt in caussa illius assignanda. Quidam cum S. Thoma, Joanne Duns Scoto, Sua-

(1) Vid. Gener. T. II. Theolog. §. 553. n. III. IV.

rez, et aliis, volunt praedestinationem adultorum ad gloriam esse mere gratuitam; hoc est, Deum ex mera sua liberalitate, et nullo habito respectu ad futura merita, quosdam praedestinasse; e contra alii (1) cum Seraphico Doctore, Alexandro Halensi, Alberto Magno, aliisque pene innumeris sustinent, prædestinationem efficacem ad gloriam fieri ex praevisis meritis gratiae; hoc est, Deum neminem ad gloriam praedestinare, quin prius praeviderit illum certo gratiae suae consensurum. Quid in tam perdifficili materia sentiemus, paullo inferius patebit.

PROPOSITIO I.

Certa fide tenendum est dari Divinam Prædestinationum ad gloriam; eamque esse indubiam, atque infallibilem.

§. 255. Prob. 1. pars ex Scripturis. Apud S. Matthaeum (Cap. XXV. v. 34.) ait Christus Dominus: *Venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum a constitutione Mundi.* S. Paulus ad Romanos scribens, ait (Cap. VIII. v. 29.): *Quos præscivit, et prædestinavit etc.* Et ad Ephesios (Cap. I. v. 5.): *Prædestinavit nos*, inquit, *in adoptionem filiorum Dei*; Ergo etc. Quare S. Fulgentius de fide ad Petrum scribens, ait (Cap. XXXV.): « Firmissime tene, et nullatenus dubi- » tes, omnes, quos vasa misericordiae gratuita bo- » nitate Deus facit, ante constitutionem Mundi in » adoptionem filiorum Dei praedestinatos esse a Deo ».

§. 256. Prob: 2. p. etiam ex Scripturis. Nam: *Omne quod dat mihi Pater*, inquit Jesus Christus

(1) Leg. Tournely T. I. Q. XXII. art. 2. Frassen Tomo II. Tract. II. Disp. III. art. 2. Sect. 3. Q. 3. Ex. Charmes Tomo II. Tract. 1. Disar IV. IV. Cap. III. art. 2.

(Joann. Cap. VI. v. 37.), *ad me veniet* : *Hæc est enim voluntas Patris , ut omne , quod dedit mihi Pater , non perdam ex eo*. Et alibi (Joann. Cap. VI. v. 37.) : *Oves meæ vocem meam audiunt , et sequuntur me , et non peribunt in æternum , et non rapiet quisquam de manu mea* : Ergo etc. Optime propterea S. Augustinus de electis loquens (Lib. de corrept. et grat. Cap. VI. n. 14.) , ait : « Horum si quis » perit , fallitur Deus : horum si quisquam perit , » vitio humano vincitur Deus : sed nemo eorum pe- » rit , quia nulla re vincitur Deus ».

§. 257. *Objic.* 1. Si daretur prædestinatio , eaque esset indubia , atque infallibilis , nemo amplius sollicitus esset de bonis operibus pro aeterna gloria adipiscenda ; unusquisque enim diceret , aut sum prædestinatus , aut non ; Si sum prædestinatus , faciam quod velim , tandem indubie salvabor ; si vero non sum prædestinatus , habeam quodcumque testimonium in operibus bonis , tandem damnabor ; Atqui hoc est contrarium præceptis Divinis , quibus obligamur bonis operibus insudare , ut aeterna beatitudine fruamur ; Ergo etc.

§. 258. R. neg. maj. Existentia , et certitudo praedestinationis tantum abest , ut reddat hominem vel socordem , vel diffidentem , vel temerarie praesumptosum , quin potius pervigilem facit , et sollicitum in bonis operibus. Cum namque certum sit , neminem sine operibus bonis , et mandatorum Dei observantia salvari posse , juxta illud (Matth. Cap. XIX. v. 17.) : *Si vis ad vitam ingredi , serva mandata* , nemo pariter de numero praedestinatorum erit qui cooperatus non sit gratiae Dei in salutis negotio. Non valet ergo dicere : si sum praedestinatus faciam quod velim , salvabor. Non valet inquam. Nam Deus cum aliquem praedestinat , jam noscit , quid ille erit facturus pro sua salute , efficacia suae gratiae adjutus. Unde qui est praedestinatus , libere ponet in

tempore, quod ab eo ponendum pro salute aeterna consequenda, jam ab aeterno praescivit Deus; faciet ergo praedestinatus bona opera, et cum studio, et sollicitudine faciet, sciens, quod (Epist. II. ad Timoth. Cap. II. v. 5.) *non coronabitur, nisi qui legitime certaverit*; et quod (S. Greg. Papa hom. 37. in Evangel.) si delectat magnitudo praemiorum, deterre non debet certamen laborum (1).

---

(1) Claritatis gratia, et ut tyrones Theologi magis dicta percipiant, non pigeat hic exscribere, quae clarissimus P. Aloysius Bourdalove habet in Concione *della predestinatione*. En ejus verba (Quaresimale Predica IX. pag. 124.): « Ma se io sono predestinato, » mi direte voi, di nulla ho a temere, e se io no 'l » sono, tutte le mie cure, e tutti i mei timori non » bastano a salvarmi. Udite Christiani; cotesto è il falso » ragionamento di cui ha inteso di valersi in ogni tempo » il libertinaggio. Se io sono predestinato, di nulla » ho a temere: qual conseguenza è cotesta? Ed io ri- » spondo, dover voi concludere tutto all' opposto, e » dire: Se io sono predestinato, ho a travagliare alla » mia salute con timore, e tremore; se io sono pre- » destinato, ciò mi obbliga a stare attento, e a vegliar » sopra di me stesso di continuo. Direbbe tosto alcu- » no, una si fatta proposizione aver qualche cosa del » paradosso. Nò, o Cristiani, ella è fondata su' prin- » cipj non che i più fermi, ma anche i più naturali, » e i più sempli:i della ragione. Imperciocchè se io » son predestinato, egli è certo che io no 'l sono, ne 'l » posso essere, se non dipendentemente da quei mez- » zi, ai quali ha voluto Idd o affiggere la mia prede- » stinazione; o per parlar più giusto, se non dipen- » dentemente da quei mezzi i quali nella mia predesti- » nazione si contengono. Or la fede m' insegna, che uno » de' mezzi più essenziali si è la cura della mia salute, » il timore de' Divini giudizi, una salutar diffidenza » della mia propria fragilità, una vigilanza oculata, che » sia mi di freno, ed impedisca il darmi in balia alle

§. 259. *Objic.* 2. S. Petrus fideles admonens, ait (Epist. II. Cap. I. v. 10. 11.): *Fratres satagite, ut per bona opera certam vestram vocationem et electionem faciatis . . . . Sic enim abundanter ministrabitur vobis introitus in aeternum regnum Domini nostri.* Ergo praedestinatio non est certa, et infallibilis.

§. 260. R. Cum complementum nostrae praedestinationis ex nostra cooperatione auxiliis Divinae gratiae pendeat (§. 258.); hinc licet praedestinatio, ex parte Dei infallibilis sit, ex parte tamen nostra, quandiu bonis operibus non insistimus, incerta penitus est, et obscura. Ut ergo quodammodo, quoad nos certa fiat, satagere debemus sollicite, Dei voluntatem implere, viam mandatorum ejus inoffenso pede currere; uno verbo, opera bona, aeternae vitae meritoria perpetrare; tunc enim completa redditur praedestinatio, et quis confidens dicere potest cum Paulo (Epist. II. ad Timot. Cap. IV. v. 7.): *Bonum certamen certavi, cursum consummavi, fidem servavi*:

» mie passioni, e abbandonarmi ad un vivere spensierato. Se ci ha una predestinazione, egli è certo che » ciò tutto ella contiene ed abbraccia. Che fo io adunque quando giungo a trascurare me stesso sotto un » così fatto vano pretesto di predestinazione, di cui ora » abuso? Ammirate o Cristiani, la debolezza della mente » umana ne' suoi errori! Che fo io? lo per me stesso » distruggo il fondamento su cui fabbrico; cioè io distruggo la mia predestinazione nel punto medesimo » che io la suppongo. E perchè ciò? perchè io separo » da lei ciò che l'è inseparabile, ciò che essenzialmente » è legato a lei, e senza che non può ella sussistere nel » decreto di Dio. Così volendo io fare il teologo, ra» giono da Uomo privo di principj, e di cognizione. *Legatur quoque pro hac re* Tournely *Tomo I. q. 22. art. 1. Concl. 1. R. ad* Dices **Doctrina praedestinationis etc.**

de reliquo reposita est mihi corona justitiæ etc. Hoc in sensu itaque fidelibus ajebat Petrus: *Fratres satagite etc.* (Vid. Tirinum in hunc locum).

§. 261. *Objic.* 3. Esto aliquis sit praedestinatus potest tamen in vita sua mortaliter peccare, et in peccato, menses, et annos ducere, infra quod tempus ab aliqua caussa externa subito vita privari, sicque mori in peccato, atque damnari; Ergo praedestinatio non est infallibis.

§. 262. R. Potest utique praedestinatus in peccato existens vita privari violenter, at vita non privabitur. Nam si vita privaretur, hoc utique Deus praescivisset, Deo namque omnia futura, antequam eveniant innotescunt (§. 171.); quare aut ille revera non esset praedestinatus, aut si praedestinatus, ideo, quia Deus praescivit, eum in mortalis articulo, gratiae suae auxilio, perfectae contritionis actum eliciturum, quo in peccato non moriatur.

PROPOSITIO II.

Prædestinatio adultorum ad gloriam (1), probabile est fieri ex prævisis meritis gratiæ.

§. 263. Prob. 1. ex Scripturis. Dominus Jesus Christus vocans electos ad aeternae gloriae possessionem, ita loquitur (Matth. Cap. XXV. v. 35.): *Venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum a constitutione Mundi. Esurivi enim, et dedistis mihi manducare: etc.* Caussa ergo motiva

(1) Adultorum dicimus. Nam cum parvuli ante usum rationis decedentes propria merita non habeant, per merita Jesu Christi praedestinantur, qui eis Sacramentum Baptismi dedit, quo culpa originali abluti et santificati, Regnum Caelorum obtinent.

cur Deus ab aeterno paraverit electis Regnum Caelorum est praevisio bonorum operum, quae illi auxilio gratiae in tempore essent facturi; dicitur quippe: *esurivi enim*. Quasi diceret Christus, ait Chrysostomus (Hom. 80. in Matth.): « Sciebam, vos ante» quam nati essetis hujusmodi futuros, haec ideo, » vobis a me praeparata fuere ». Deinde Apostolus ad Romanos scribens inquit (Cap. VIII. v. 29.): *Quos præscivit, et prædestinavit conformes fieri imaginis Filii sui*. Quare inquit Apostolus: *quos præscivit, hos et prædestinavit?* « Quia non ante prae» destinavit, respondet S. Ambrosius (Lib. V. de » Fide Cap. XV.), quam praescivit: sed quorum » merita praescivit, eorum praemia praedestinavit » Ulterius idem Apostolus ad Corinthios scribens, ait (Epist. I. Cap. II. v. 9.): *Quod oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparavit Deus iis, qui diligunt illum*. Deus ergo praeparavit, hoc est praedestinavit (§. 253.) ineffabilia, imo incomprehensibilia bona in Caelis: quibus? diligentibus se. Quos ergo diligentes se praescivit, eos praedestinavit. Praeterea S. Jacobus Apostolus sic ait (Cap. II. v. 5.): *Deus elegit pauperes in hoc Mundo, divites in fide, et hæredes regni quod repromisit Deus diligentibus se*. Tandem Apostolorum princeps ita Fideles admonet (Epist. II. Cap. I. v. 10.): *Satagite ut per bona opera certam vestram vocationem, et electionem faciatis*. Si ergo per bona opera electio, seu praedestinatio fit certa, profecto ea fit ex praevisis meritis gratiae; adeoque etc.

§. 264. Prob. 2. ex Patribus. Theophylactus sic ait (In Cap. VIII. Epist. ad Roman.): « Praeco» gnoscit ac praescit Deus eos qui vocatione digni » sunt, deinde sic praedestinat; prior itaque est pre» scientia, postea sequitur praedestinatio ». Clare quoque super hanc rem se explicat Damascenus dicens (Lib. contra Manichaeos.): « Praevidens Deus

» ea quae nos sponte facturi sumus, ea scilicet, quae » sunt in nostra potestate, nimirum opera bona, et mala » etiam ea quae non sunt in nostra potestate, nempe » praemia, et supplicia praedefinivit ». Nec absimiliter loquitur Hieronymus, qui ad Hedibiam scribens (Q. 10), inquit; « Vasa misericordiae, quae prae» paravit in gloriam suam, non irrationabiliter sal» vat, et absque veritate, sed caussis praecedentibus, » quia alii non susceperunt Filium Dei, alii autem » recipere sua sponte voluerunt; ex quo ostenditur, » non gentes eligi, sed hominum voluntates ». S. Augustinus pariter haec habet (Ad Simplicianum » Epist. 150.): « Non tamen electio praecedit ju» stificationem: sed electionem justificatio ». Et ne longius sermo protrahatur, S. Fulgentius (Lib. I. ad Monimum Cap. 24.) pro coronide audiatur, qui ita loquitur: » Deus praedestinavit ad regnum quos » ad se praescivit misericordiae praevenientis auxilio » redituros ».

§ 265. Prob. 3. ratione theologica. Ac primo quidem. Eo modo praedestinatio exequutionem obtinet ac fuit a Deo intenta, et facta; Atqui praedestinatio nonnisi per merita gratiae exequitur; hoc est praedestinati, nonnisi operibus bonis, auxilio gratiae factis, salvantur; Ergo non fit nisi ex praevis meritis gratiae. Secundo. Si praedestinatio fit ante praevisa merita, ut quid Christus passus est, nobis relinquens exemplum, ut crucem tollamus, et vestigia ejus sequamur? Praedestinatio est efficacissima, si ergo a meritis independens, sive quis operetur bonum, sive non, salvabitur; adeoque etc. Tertio si praedestinatio esset ante praevisa merita, Deus non vellet sincere omnium hominum salutem: Atqui hoc est falsum (§. 189.); Ergo etc. Prob. maj. Ideo probatur Dei sincera voluntas omnes salvandi, licet non omnes salutem reapse consequantur quia Deus, quantum ex se est, omnibus media necessaria paravit ad sa-

lutem consequendam (§. 249.); homines vero non salvantur omnes, quia non omnes mediis a Deo propositis recte utuntur, et auxiliis gratiae cooperantur (§. 198. et seq.); Si ergo Deus absque ullo respectu ad futura merita, vel demerita, homines quosdam praedestinaret, reliquos negligeret, illorum tantum, et non istorum vellet sincere salutem; adeoque etc. Quarto tandem. Gloria aeterna dicitur in Scripturis *merces*, *praemium*, *et corona*. Sed merces nonnisi bene operantibus datur, juxta illud Pauli ad Corinthios (Epist. I. Cap. III. v. 14.): *Si cujus opus manserit, quod superædificavit, mercedem accipiet*; præmium non datur, nisi praemisso labore operis; unde Christus Dominus ait in Apocalypsi (Cap. I. *Qui vicerit dabo ei edere de ligno vitæ;* corona demum non datur nisi iis qui legitime certaverint, et victores extiterint; juxta illud (Epist. II. ad Timoth. Cap. II. v. 5.): *Non coronabitur, nisi qui legitime certaverit*; Ergo ex praevisis meritis gratiae fit praedestinatio.

Adversariorum objecta solvuntur.

§. 266. *Objic.* 1. Apostolus ad Ephesios scribens (Cap. I. v. 11.) ait: *Prædestinavit nos secundum propositum voluntatis suæ*; Ergo prædestinatio ad gloriam est omnino gratuita, et non ex praevisis meritis.

§. 267. R. Dist. ans. Praedestinavit nos, etc., includens merita praevisa, conc., secus nego ans., et consm. Cum ex eodem Apostolo (Roman. Cap. XII. Epist. I. ad Thessal. Cap. IV.), voluntas Dei beneplacens et perfecta sit sanctificatio nostra, ut nempe malum fugiamus, imo ab omni specie etiam mali abstineamus (Ibid. Cap. V.), et provideamus bona non tantum coram Deo, sed etiam coram hominibus, profecto si Deus praedestinavit nos secundum propositum, et beneplacitum voluntatis suae,

praedestinavit utique ex praevisis bonis operibus, et meritis gratiae.

§. 268. *Contra.* Atqui adeo Deus praedestinavit nos secundum beneplacitum voluntatis suae, ut excludat praevisionem meritorum; Ergo n. r. Prob. subsm. Idem Apostolus ad Timotheum scribens, inquit (Epist. II. Cap. I.): *Vocavit nos vocatione sua sancta, non secundum opera, sed secundum propositum suum;* Ergo etc.

§. 269. R. Dist. ans. Et ibi loquitur Paulus de vocatione ad gratiam, conc.; ad gloriam, nego ans, et consm. Laudato in loco Apostolum non loqui de prædestinatione ad gloriam, sed de praedestinatione ad gratiam, omnes fere Expositores sacri ostendunt; quod ex verbis ipsis patet; nam de vocatione sunt, ab infidelitate ad fidem, a morte culpae ad vitam gratiae, et a tenebris in lumen Jesu Christi. Jure propterea, ante quaecumque praevisa merita dicitur facta; quod et nos ipsi tuemur adversus Haereticos. Nihil ergo ex adducto testimonio contra nostram thesim eruitur.

§. 270. *Contra.* Atqui ex eodem Apostolo etiam praedestinatio ad gloriam est omnino gratuita; Ergo etc. Prob. min. subs. Apostolus ad Titum scribens inquit (Cap. III. v. 5.), quod *non ex operibus justitiæ quae fecimus nos, sed secundum suam misericordiam salvos nos fecit Deus;* Ergo etc.

§. 271. R. Non loquitur ibi Apostolus de praedestinatione ad gloriam, sive de aeterna salute; sed de liberatione a servitute diaboli, et a morte peccati per adventum Domini nostri Jesu Christi, et per lavacrum regenerationis ab eodem institutum: uno verbo, loquitur de praedestinatione ad gratiam novae Legis, quae non fit ex meritis, quod nos ultro concedimus.

§. 272. *Contra.* Atqui laudatus Apostolus praedestinationem ad gloriam pure gratuitam adfirmat; Ergo n. r. Prob. subsm. Ex concessis, praedestinatio

ad gratiam est omnino gratuita; ergo et praedestinatio ad gloriam. Prob. consa. Praedestinatio ad gloriam est gratia Dei, ait namque citatus Apostolus (Rom. Cap. VI. v. 83.): *Gratia Dei vita aterna*; Ergo etc.

§. 273. R. Praedestinatio ad gloriam est gratia includens praevisionem meritorum, conc., secus n. ans., et consm. Esto vita eterna dicatur merces, corona, et praemium, supponens propterea laborem, victoriam, et opera, jure tamen optimo gratia Dei dicitur; et est; Nam opera nostra, bona ideo sunt vitae aeternae meritoria, quia non viribus nostris naturalibus, sed gratiae ea efficimus; si ergo gratis et donum Dei est, ut bonum faciamus, gratia quoque, et Dei donum est ut bonorum operum mercedem recipiamus in Caelis. At non ideo quia vita aeterna est gratia, praedestinatio non fit ex praevisione meritorum gratiae, alias Apostolus non dixisset vitam aeternam esse quoque mercedem, coronam (1), etc.

§. 274. *Objic*: II. Christus Dominus apud Sanctum Lucam (cap. 12. v. 32.) ita suos alloquitur discipulos: *Nolite timere pusillus grex, quia complacuit Patri vestro dare vobis Regnum*; Si ergo Regnum Dei est ex pura ejus conplacentia, profecto non est ex praevisis meritis gratiae; adeoque falsa propositio.

§. 275. R. dist. antec: et complacentia in Deo Patre dandi Regnum Celeste est absque praevisione meritorum gratiae, n. antec; secus, conc; Ergo etc: n: consm. Laudatis verbis voluit Christus Dominus suos discipulos solertiores, sollicitioresque reddere in

(1) Innumera alia sunt, quae adversae sententiae Patroni contra nostram thesim congerunt, sed ea facile explicari possunt de praedestinatione ad gratiam, uti fuse et dilucide ostendunt Auctores (§. N. 254.), quos sequimur.

bonis operibus faciendis, non vero ostendere, eos ex sola Dei Patris complacentia praedestinatos esse ad Regnum Coelorum. Si namque hoc esset, etiam Judas de sua praedestinatione gratuita fuisset certior factus. Cumque praedestinatio est infallibilis, Judas utique fuisset salvatus, quod est falsum. Ceterum, ex verbis ipsiusmet Christi, post illa in argumento laudata, ostenditur complacentiam Æterni Patris dandi gloriam, non excludere praevisionem meritorum. Sequitur enim: *Facite vobis saeculos, qui non veterascunt, thesaurum* (bonorum operum) *non deficientem in Coelis*. Adeoque etc.

§. 276. *Contra.* Atqui illa Dei Patris complacentia dandi Caeleste Regum est cum exclusione praevisionis meritorum; Ergo. n: r: Prob: subs: Quod a Deo Patre est a constitutione Mundi paratum, certe nulla praecedentia merita supponit, atqui Regnum Cœleste est a Deo Patre, electis a constitutione Mundi promissum, dicente Jesu Christo (Math: cap. 20. v. 35.): *Venite benedicti Patris mei possidete partatum vobis Regnum a constitutione Mundi;* Ergo etc.

§. 277. R. dist· maj: Quod etc: exequendum nullis praemissis meritis, et absolute, conc: secus nego: Ergo etc: n: consm. Regnum Cœlorum est quidem electis ante Mundi constitutionem a Deo paratum; at quoniam sine praemissis meritis gratiae, nunquam illud electi obtinuissent, profecto si fuit illis paratum, cum praevisione meritorum paratum fuit. De facto vocans Christus Dominus in finali judicio electos suos ad Regni cœlestis consequutionem, dicit quidem paratum illis tale Regnum fuisse, sed præsuppositis meritis. Postquam enim electis dixerit. *Venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis Regnum a constitutione Mundi*, subjungit: *Exurivi enim et dedistis mihi manducare: sitivi, et dedistis mihi bibere* etc, quibus verbis, satis, superque ostendit, tale Regnum illis fuisse paratum, praesupposito

quod dicta misericordiae opera explevissent; Hoc est ex praevisis meritis gratiae.

§. 278. *Contra.* Atqui omnino absque ulla meritorum praevisione Regnum cœlorum a Deo electis preparatum est; Ergo n. r. Prob: subs: Merita quae supponuntur facta viribus gratiæ, sunt dona Dei; Deus namque est qui *operatur in nobis velle, et perficere pro bona voluntate* (Rom: cap: 37. v. 18.); unde ex divo Augustino, Deus coronando merita nostra, coronat dona sua; Atqui quod est donum Dei, est omnino gratuitum; Ergo etc.

§. 279. R. ad argm. *Omne datum optimum,* ajebat Sanctus Jacobus (Cap. I. v. 17.), *et omne donum perfectum, desursum est; descendens a Patre luminum.* Hinc quaecumque ad nostram vocationem, justificationem, et glorificationem spectant, gratiae et dona Dei sunt. At gratiae et dona, que exigunt etiam cooperationem nostram, ut suum sortiantur effectum. Sane vult Deus nostram salutem; sed vult etiam nostrum velle suo velle conjunctum; vult siquidem, si nos quoque velimus. Operatur in nobis velle, sicque efficit, ut nos cum ipso velimus. Quoniam vero ad salutis consequutionem Deo non sufficit solum velle, sed requirit umilem Jesu Christi sequelam, et bona nostra opera, sine quibus nobis conferre non vult vitam aeternam, juxta illa Servatoris nostri: (Lucæ IX. v. 23.): *Si quis vult post me venire, abneget semetipsum, tollat crucem suam et sequatur me*; *et* (Matth: XIX. v. 17.) *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata;* ideo haec bona opera omnino praemittenda sunt, ut salus aeterna consequi possit. En auxilio gratiae bona opera ad salutem conducentia; et Deus dicitur operari nobiscum, nosque cum eo. Vult tandem Deus ut opus nostrae salutis compleatur; ast vult ex parte nostra ut perseveramus usque in finem, juxta illud ejusdem Christi Domini (Matt: X. v. 23.): *Qui perseveraverit usque in finem hic sal-*

rus erit. Deus itaque operatur in nobis perficere, et nos in bono perseverantes usque ad finem, salutem consequimur æternam. Ex his ergo patet, nostram praedestinationem ad gloriam esse quidem donum Dei, sed ex ipsiusmet Dei voluntate illis solis concedendum, qui meruerint, adimplendo Dei voluntatem, ut eis conferretur. Adeoque etc.

Quæres: *Utrum homo certus esse possit de sua prædestinatione?*

§. 280. R. Non potest homo, sine revelatione certo scire se esse praedestinatum, sed solum per quaedam signa conjecturaliter. Nam in Ecclesiaste legitur (Cap. IX. v. 1.): *Nescit homo utrum amore, an odio dignus sit: sed omnia in futurum reservantur incerta*. Unde scripsit Paulus (Cap. XI. v. 25.): *Tu fide stas: noli altum sapere, sed time*; et scribens Philippensibus, eos monet dicens (Cap. II. v. 12.): *cum metu et tremore vestram salutem operamini*. Quare S. Augustinus (Lib. de corrept. et gratia Cap. XIII.): » Quis, *inquit*, ex multitudine fidelium, quamdiu in hac mortalitate vivitur, in numero praedestinatorum se esse praesumat? Quis potest dicere, *subjungit* S. Bernardus (Serm. I. in Septuag. n. 4.), ego de electis sum, ego de numero filiorum, reclamante nimirum Scriptura: nescit homo si dignus sit amore, an odio »? Jure proinde Tridentina Synodus, expressis verbis, statuit (Sess. VI. Cap. XII.), quod *Nemo, quamdiu in hac mortalitate vivitur, de arcano divinae praedestinationis mysterio usque adeo praesumere debet, ut certo statuat se omnino esse in numero prædestinatorum* (1).

(1) Cum ergo nullus, nisi speciali Dei revelatione de sua praedestinatione ad gloriam certus esse possit; cumque ex hoc, licet imperscrutabili mysterio, tota hominis felicitas, aut miseria oriatur, merito vel ipsi viri Sancti illud recogitantes obrigebant, contremisce-

Quæres. *Quænam sint illa signa, ex quibus possit quis, saltem conjecturaliter scire, se esse praedestinatum?*

§. 281. R. principaliora sunt I. *Verbi Dei libens, et attenta auditio.* Nam ait Christus Dominus (Joann. Cap. VIII. v. 47.): *Qui ex Deo est verba Dei audit: oves meæ vocem meam audiunt* (Ibid. Cap. X. v. 27.) . . . *et ego vitam æternam do eis.* II. *Verbi Dei auditi in mente, et in corde conservatio.* Nam idem Dominus inquit (Lucæ Cap. XX. v. 28.): *Beati qui audiunt Verbum Dei et custodiunt illud*: quia ut scribit Apostolus (Roman. II. v. 12.): *Non auditores legis justi sunt apud Deum,*

---

bantque totis artubus. Terribilis sane cogitatio! quae mentibus nostris tenaciter haerere deberet: *Sum praedestinatus, an non? Salvabor, aut damnabor?* Non ita tamen de ea, ut fiduciam ammittamus, uti debemus, sed ut promptiores evadamus ad nostram salutem cum timore, et tremore procurandam. Absit propterea ut Daemoni de praedestinatione tentanti cedamus, vel in desperationem, vel in praesumptionem incidentes. Utque eum vincere queamus, ponat in praxi unusquisque fidelium, quod Seraphicus Doctor fratri Roberto, pro ejusmodi tentatione vincenda, proposuit. » Si de praedestinatione (en ejus verba, Remedium defectuum Religiosi), aut praescientia Dei Diabolus tibi aliquam » tentationem immiserit, sic ei respondeas. Quidquid » sit de me, certum est te esse damnatum, si autem » et ego damnabor, et post hanc vitam Deum meum » habere non debeo, habebo per totum tempus vitae » praesentis, et tanto ardentius quanto brevius novero » me habiturum. Momentum igitur temporis non omittam, et semper in ipso, quin secundum posse meum totaliter fruar ipso delectabor, ex quo in futuro sua præsentia privabor, et tu Diabole si tecum esse oportet, scias » quod tandiu in Dei servitio perseverabo corde, ore, opere, omni membro, omni momento, quandiu possum.

sed factores legis justificabuntur. III. *Frequens, atque devota Sacramentorum susceptio.* Nam cum Sacramenta sint media a Jesu Christo instituta ad nostram justificationem, et æternam gloriam comparandam, fieri haud posse videtur, ut qui ea frequenter susceperit, finaliter a Dei consortio arceatur. IV. *Adversitatum hujus Mundi alacris, atque umilis tolerantia.* Ait namque Christus (Matt. Cap. V. v. 10.): *Beati qui persequutionem patiuntur propter justitiam, quoniam ipsorum est Regnum Cœlorum*; et S. Leo Papa, Apostolo dicenti (Roman. Cap. VIII. v. 17.): *Si compatimur, et conglorificabimur*, subjungit (Serm. IX. de Quadrag.): « Certa, atque secura est » expectatio promissae beatitudinis, ubi est participatio » Dominicæ passionis ». V. *Operum misericordiae per-*

» Quod si quis sic Deo adhaeret caeteras consolationes » reputaret absinthium. His ergo praemissis inferas te » non damnari, quia omnino sua judicia contrariantur » damnationi, ut patet in omnibus regulis Sancti E» vangelii. Observatis etiam praedictis, impossibile est » me damnari. Aut certe ibo ad Matrem, et magistram » misericordiae Virginem Mariam, quae non misereri » non potest, et petam ab ea ut Filium inclinet ad » parcendum peccatis meis. Nam ipsa propter peccato» res Mater Dei effecta, et ipse Filius Dei propter pec» catores redimendos voluit esse Filius hominis. Unde » proprium est amborum misereri, et parcere nec pro» pter me tam nobiles proprietates derelinquunt. Quod » si praedestinatus sum, et aeternam vitam cum An» gelis possidere debeo, ex nunc angelicam vitam du» cam, et cantabo: *Pars mea dominus, propterea* » *expectabo eum.* Haec enim pars dignissima perditur » per unum vilissimum mortale peccatum, ideo for» tissimo studio haec sunt custodienda. Sic ergo con» clude Diabolo: quidquid futurum est, non desistam » à Dei servitio, et vae tibi, qui non vis tanto Do» mino ministrare ».

fecta exequutio. Etenim ait Christus Dominus (Matt. Cap. V. v. 7.): *Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur;* et Archangelus Raphael Tobiæ dixit (Cap. XII. v. 9.): *Eleemosina facit invenire vitam æternam.* VI. *Rerum caducarum hujus Mundi propter amorem Dei, contemptus.* Etenim ait Christus (Matth. Cap. XIX. v. 29.): *Omnis qui reliquerit Domum, aut agros propter nomen meum . . . . vitam æternam possidebit;* Unde qui contempserit temporalia merebitur sempiterna. VII. tandem: *Vera devotio erga Virginem Mariam;* Scriptum est enim (Ecclesiast. Cap. XXIV. v. 31.: *Qui elucidant me vitam æternam habebunt;* et (Proverb. Cap. IV. v. 35.): *Qui me invenerit, inveniet vitam, et hauriet salutem a Domino.* Dinc Seraphicus Doctor, fideles admonens, ut Deiparam laudibus efferant, eamque dignis obsequiis colant, ait (In Psalter.): » Qui adquirit gratiam ejus agnoscetur » a Civibus Paradisi, et qui habuerit characterem » nominis ejus adnotabitur in libro vitae ».

Quæres. *An Prædestinati sint numero plures quam reprobi?*

§. 282. R. Si loquimur de hominibus generatim, facta inter eos comparatione, plures sunt reprobi quam praedestinati. Nam cum sine fide, et bonis operibus nemo salvari possit; cumque certum sit, innumeros esse in Mundo Infideles, Schismaticos, Hæreticos, atque peccatores, paucos vero admodum, qui Catholici, atque vere fideles sint, profecto longe plures sunt reprobi quam praedestinati. Si vero loquimur de veris, et solis Catholicis, facta comparatione inter parvulos, qui ante usum rationis moriuntur, et adultos, probabile est, numerum salvandorum excedere numerum reproborum. Si tandem de solis adultis loquimur, probabilius est, plures fore reprobos, quam praedestinatos. Hinc S. Gregorius exponens illud Christi Domini apud S. Matthaeum (Cap.

XXII. v. 14.): *Multi sunt vocati, pauci vero electi*, attonitus exclamat (Homil. IV. ad Populum.): « » Hoc terribile est valde, quia ad fidem plures ve- » niunt, et ad Caeleste regnum pauci perducuntur ». Et certe: Nam *lata porta est*, ait Christus (Matth. Cap. VII. v. 30.), *et spatiosa via est, quæ ducit ad perditionem, et multi sunt, qui intrant per eam* aliunde autem: *angusta porta, et arcta via est, quæ ducit ad vitam, et pauci sunt qui inveniunt eam.*

Quæres. Quinam *sint præcipui prædestinationis effectus?*

§. 283. Præcipui, atque directi prædestinationis effectus tres sunt ex Apostolo Paulo; 1. nempe *vocatio*, 2. *justificatio*, et 3. *glorificatio*. Ita enim eos enumerans scribit ad Romanos (Cap. VIII. v. 30.): *Quos praedestinavit; hos et vocavit, et quos vocavit, hos et justificavit, quos autem justificavit illos et glorificavit.*

CAPUT X.

De Reprobatione, ejusque caussa, et effectibus.

§. 284. *Def. Reprobatio nihil aliud hic* est, *quam exclusio quorumdam a Regno Cælorum*, et duplex distinguitur, *positiva nempe, et negativa.*

§. 285. *Def*: 2. *Reprobatio positiva est Efficax, et absolutum divinæ voluntatis decretum, divinique intellectus judicium de pœna æterna infligenda rationali creaturæ, et ipsius a beatitudine exclusione propter prævisum gratiæ abusum, et peccatum finale.*

§. 286. *Def.* 3. *Reprobatio negativa*, juxta illos, qui eam admittunt, *est actus Divinæ voluntatis, quo Deus ante prævisionem demeritorum, aliquos non prædestinat ad gloriam, sed relinquit in massa perditionis, eosque consequenter a gloria aeterna excludit.* Quid autem de utraque sentiendum, adest

Dissidium inter Doctores.

§. 287. Siquidem tam positivam quam negativam reprobationem rident, qui nihil post hanc vitam neque præmium, neque supplicium animabus, imo nec animas ipsas superesse opinantur. Joannes Calvinus impie docuit, Deum quosdam a gloria æterna exclusisse, atque suppliciis gehennalibus addixisse ex mera sua voluntate, et unico suo arbitrio ante quamcumque peccati prævisionem; itaut qui damnantur, ideo damnantur, quia Deus sic voluit; quia nempe sicut Deus, cujus vult, miseretur, ita quos vult indurat, excæcat, imo ad peccandum impellit, ut eos æternaliter puniat. Theologi Catholici e contra admittunt reprobationem, et adversantur Calvino, sed discrepant in adsignanda caussa reprobationis. Quidam dicunt, Deum ex mera sua voluntate velle quosdam non prædestinare, neminem vero actu suppliciis æternis damnare, quin ejus demerita atque peccata fuerint praevisa. Alii absolute contendunt, reprobationem omnino fieri post prævisa demerita. Quid sentiemus, paucis explicamus.

PROPOSITIO I.

Datur reprobatio positiva, qua nempe aliqui e gloria caelesti excluduntur, et suppliciis addicuntur aeternis.

§. 288. Probatur propositio hac ratione. Datur reprobatio positiva, si quidam de facto a Paradiso excluduntur, et ad Inferos damnantur; Atqui omnes Sacri eloquii paginae, Concilia, et Patres, imo ipsa theologica ratio docent, multos a Paradiso excludi, atque insuper æternis cruciatibus addici; imo plures esse reprobos, quam praedestinatos (§. 282.); Ergo etc.

PROPOSITIO II.

Videtur admittendam non esse Reprobationem negativam.

§. 289. Prob: Reprobatio negativa est pura derelictio creaturae in massa perditionis (§. 286.); Atqui hæc Divinæ bonitati, ejusque voluntati repugnat; Ergo etc. Prob. min. Non est Dei voluntas ut homo damnetur, sed ut salvus fiat (§. 189.). Quare licet Deus peccatores nos videat, patienter tamen *expectat*, ait S. Petrus (Epist. II. Cap. IV.), *nolens aliquem perire*; et hæc Dei voluntas adeo universalis est, ut neminem sine auxiliis gratiæ reliquerit ad salutis æternæ consequutionem necessariis (§. 249.). Si ergo daretur Reprobatio negativa; si nempe Deus, mera voluntate sua, quin aliquod hominum peccatum præviderit, eos in massa perditionis relinquit, quomodo vellet omnes homines salvos fieri? Quomodo dici posset, eum nolle ut aliquis pereat? Ergo etc.

PROPOSITIO III.

Deus neminem positive reprobat, atque æternis addicit suppliciis, quin ejus peccata, atque demerita praeviderit.

§. 290. Prob. ex Scripturis. Apud Ezechielem (Cap. XVIII. v. 23.) ait Dominus: *Numquid voluntatis meæ est mors impii . . . . . et non ut convertatur a viis suis et vivat?* Et apud Oseam (Cap. XIII. v. 9.): *Perditio tua Israel: tantummodo in me auxilium tuum*; et tandem apud Matthaeum (Cap. XXV. v. 42.): *Discedite a me maledicti in ignem æternum etc: Esurivi enim, et non dedistis mihi manducare etc.* Quibus positis, en argumentum: Re-

probatio positiva fit ex praevisis peccatis, si Deus non vult aliquem perire, si hominum perditio est ipsorum culpa, si demum qui damnantur, propter mala ipsorum opera damnantur; Atqui res ita se habet; Ergo etc. Unde merito S. Augustinus scribit (Lib. III. contra Julian. Cap. 18.) «: Bonus est Deus, justus » est Deus, potest aliquos sine bonis meritis liberare, » quia bonus est, non potest quempiam sine malis » meritis damnare, quia justus est ». Et S. Joannes » Damascenus (Lib. II. de fide Cap. 26.): Deus » ex seipso movetur ad miserendum; ad puniendum » nonnisi ex praesupposita culpa ».

§. 291. Dices: *Universa propter semetipsum operatus est Dominus: impium quoque ad diem malum* (Prob. Cap. XVI.); Ergo Deus positive aliquos reprobat, non quia peccata in eis praeviderit, sed propter meram suam voluntatem.

§. 292. R. neg. consm. Laudata in argumento verba non ita intelligenda sunt, quasi significent, Deum ideo impios creare, ut eos damnet in Inferno sed solum quod creat eos, quos futuros peccatores praescivit, et finaliter damnandos; ideoque propter semetipsum, ad manifestationem nempe gloriae suae (§. 100.), et justitiae ostensionem. Quare nihil faciunt contra thesim.

§. 293. *Contra.* Atqui ideo dicitur Deum propter semetipsum creare impium ad diem malum, quia ex mera sua voluntate illum reprobat, atque aeternis addicit cruciatibus; Ergo n. r. Prob. subsm. Etsi Jacob, et Esau *nondum nati fuissent, aut aliquid boni egissent, aut mali*, tamen ait Dominus (Proverb. Cap. XVI.): *Jacob dilexi, Esau autem odio habui*; Atqui per odium Dei intelligitur reprobatio; Ergo etc.

§. 294. R. Esto Esau a Deo dicatur odio habitus antequam natus fuisset, vel aliquid boni, aut mali egisset, non ideo sequitur, eum fuisse re-

probatum ex mera Divina voluntate, et ante praevisa ejus demerita. Nam quicumque ob praevisa demerita reprobatur, optime dici potest reprobari antequam quidquam mali egerit; Reprobatio namque est æterna; mala vero opera ab æterno praevidentur, sed in tempore exequuntur. Ex praevisis ergo demeritis; Deus Esau reprobavit; et antequam natus esset, aut aliquid mali egisset eum odio habuit. Apposite S. Augustinus (Lib. I. ad Simplicianum q. 2.): « » Si nullo merito reprobatus est Esau . . . quomodo » ejus reprobatio justa dici potest? . . . Non igitur » odit Deus Esau hominem, sed odit Deus Esau » peccatorem ».

Quæres. *Quot sint effectus reprobationis*?

§. 295. R. Tres potisssimum; nempe I. *privatio gratiæ efficacis, et finalis*. Nam peccator gratia sufficienti abutitur; unde et gratia efficaci indignus efficitur. II. *Cordis obduratio, et mentis excæcatio*. Cum namque peccator sine Divina gratia nequeat bonum supernaturalis ordinis efficere, abutens gratia sufficere, et orbatus gratia efficaci, quae agenda sunt non videt; unde de abysso in aliam profundiorem abyssum prolabitur, nec emendat cogitationes suas malas, ut revertatur ad Dominum. III. tandem *pœna æterna*. A quibus omnibus Dominus noster Jesus Christus, per merita acerbissimae Passionis suæ, ac intercessione BB. Virginis Mariae, et omnium Sanctorum nos liberare dignetur, efficere ut nomina nostra scripta sint in Caelis.

Quæres. *Quid sit liber vitæ, et an detur*?

§. 296. R. 1. *Liber vitæ est certa, perspicacissima Dei cognitio, qua numerum salvandorum, tum in specie, tum in individuo intuitive conspicit*. Haec autem cognitio, idcircò, ait Frassen (Tomo II. Tract: II. Disp. III. Art: 2. 9: 3.): methaphorice dicitur *Liber vitæ*; quia sicut Scriptura libri est signum eorum, quae facienda sunt; ita Dei notitia,

et memoria, qua firmiter novit se aliquos praedestinasse, est signum apud ipsum, eorum qui sunt perducendi ad vitam æternam, juxta illud ad Timotheum (II. Cap: II. v. 28.): *firmum fundamentum Dei stat habens signaculum hoc: novit Dominus qui sunt ejus.*

§. 297. Affirmative. Nam in pluribus sacrae Scripturae locis fit de eo manifesta mentio. Apud Danielem (Cap: XII.): *Salvabitur populus tuus qui scriptus fuerit in libro* vitae. In Apocalypsi (cap: XXI.): *Non intrabit in ea, nisi qui scriptus fuerit in Libro vitæ Agni.* Et sic in pluribus aliis locis. Ergo etc.

Quæres. *An aliquis possit proprie deleri de libro vitae?*

§. 298. R. negat. Nam de electis, seu ovibus suis ait Christus Dominus (Jo: X.): *Non peribunt in æternum, et non rapiet eas quisquam de manu mea.* Et revera praedestinati sunt illi, qui scripti sunt in libro vitae; si ergo quis posset proprie deleri de libro vitae, praedestinatus posset damnari; atqui praedestinatio est certa et indubia (§. 226.), et nullus qui est proprie praedestinatus, potest damnari; Ergo nemo potest proprie deleri de Libro vitæ.

§. 299. *Dices.* Si nemo proprie posset deleri de libro vitae, non dixisset Moyses (Exod: cap: 32.): *Aut dimitte noxam populi hujus, aut si non facis dele me de libro vitæ quem scripsisti;* Nec David dixisset (Psal. 58.): *Deleantur de libro viventium, et cum justis non scribantur*; Ergo etc.

§. 300. R: admit: auct:, neg. consm. Cum Moyses ardentissima charitate erga Iudaicum populum incensus esset, videns Deum adversus illum maxime iratum, et minitantem ei supplicia, et extreminium, ut Divinam Clementiam flecteret, illique condonaret, Deum enixe deprecatus est: quod si nollet, per exaggerationem, dixit, ut si fieri posset, ipse pro illis puniretur; ejusque punitio esset illa omnium maxima,

ut deleretur nempe de libro vitae. Non ergo proprie, sed per exaggerationem loquutus est Moyses laudato in loco. Adeoque non opponitur nostrae thesi. Ad illud autem Davidis: dicimus, Prophetam, vocem illam *deleantur* sumere negative; ita ut idem sit dicere *deleantur*, ac si diceret, *non scribantur in libro viventium;* idque satis ostenditur ex verbis quae sequuntur: *et cum justis non scribantur.*

Quaeres. *Quid sit liber mortis, et an detur?*

§. 301. R. *Liber mortis nihil aliud est quam notitia et memoria Dei, qua firmiter novit, et retinet, se aliquos, propter peccatum finale, morti æternæ addixisse.*

§. 302. R. ad II. affirmat. Nam sicut Deus praescientiam indelebilem habet illorum omnium qui salvantur, sic praescientiam illorum habet qui damnantur. Porro de utroque hoc libro, vitae scilicet, et mortis; ita legitur in Apocalypsi (cap. 20.): *Libri aperti sunt et alius liber apertus est, qui est vitæ, et judicati sunt mortui, ex iis, quae scripta erant in libris, secundum opera illorum, et qui non est inventus scriptus in libro vitae missus est in stagnum ignis.*

Quaeres. *An dentur affectus in divina voluntate?*

§. 303. R. 1. Per affectus divinae voluntatis intelliguntur amor, odium, desiderium, ira, poenitentia etc:

§. 304. R. 2. Hi affectus frequentissime in Scripturis Deo tribuuntur, veluti cum dicitur: *Deus diligit justos (Psal: 145. v. 8.)*: *Odio sunt Deo impius et impietas ejus* (Sapien: cap. 14. v. 9.) etc. Sed hi affectus ab omni imperfectione, quae in illis, qui hominum proprii sunt, purgati inveniuntur, et non pauci ex iis, veluti ira, poenitentia, desiderium, timor etc: metaphorice in Deo esse, omnino tenendum est. Hoc sensu Deum alloquens Sanctus Augustinus, ita ei dicebat, (Lib. I. Confes: Cap: 4.): « Amas, » nec aestuas: zelas, et securus es, pœnitet te, et

» non doles: irasceris, et tranquillus es: opera mu-
» tas, nec mutas consilium: recipis, quod invenis,
» et numquam amisisti: numquam inops; et gaudes
» lucris: numquam avarus, et usuras exigis. »

TRACTATUS III.

De ineffabili Sanctissimae Trinitatis Mysterio.

§. 305. Sanctissimae Trinitatis ineffabile Mysterium expositurí, Christum Dominum veram Mundi lucem enixe deprecemur oportet, ut dignetur, ex alto assistricem sedium suarum sapientiam nobis donare, quae nos instruat, dirigatque ne erremus; imo ne quid vel minimum tanto Mysterio indignum proferamus. Hujus enim Mysterii expositione, sicuti nihil est difficilius, ita nihil est periculosius, cum vel unius litterulae indebita adjunctione, aut detractione, horrendum haeresis monstrum exurgere possit, ut experientia compertum est; Quod et monuit S. Augustinus, dicens (Lib. I. de Trinit. Cap. III.): *Ubi quaeritur Unitas Trinitatis Pater, Filius, et Spiritus Sanctus; nec periculosius alicubi erratur, nec laboriosius aliquid quaeritur.* Nos interim Fidem, atque Sanctam Romanam Ecclesiam Fidei magistram in omnibus sequi gloriantes, errare non formidamus: Unde fidenter operi manum admovemus.

CAPUT I.

De Mysterii SS. Trinitatis cognoscibilitate.

§. 306. *Animad.* Trinitatis Mysterium in hoc, ex Fide positum est (Symb: S. Athan:); *ut unum Deum in Trinitate, et Trinitatem in Unitate veneremur; neque confundentes Personas, neque substantiam separantes.* « Omnes namque, ait S. Augu-

stinus (Lib: I. de Trin: C. 4.) » quos legere po-
» tui, qui ante me scripserunt de Trinitate, quae
» Deus est, divinorum librorum veterum, et novo-
» rum Catholici tractatores, hoc intenderunt, secun-
» dum Scripturas docere, quod Pater, et Filius, et
» Spiritus Sanctus unius, ejusdemque substantiae
» insuperabili aequalitate Divinam insinuant unita-
» tem; ideoque non sint tres Dii, sed unus Deus. Quam-
» vis Pater Filium genuerit, et ideo Filius non sit
» qui Pater est; Spiritus Sanctus nec sit Pater, nec
» Filius, sed tantum Patris et Filii Spiritus, Patri
» et Filio etiam ipse coequalis, et ad Trinitatis per-
» tinens unitatem ». Et quod ad ejus cognoscibilita-
tem hic primo attinet

Variae sunt Auctorum sententiae

§. 307. Fuerunt nonnulli, qui Mysterium hoc, omnium consensione obscurissimum, altissimumque, sola naturali ratione cognosci, atque demonstrari posse, et quidem positive, putarunt; inter quos Claudianus Mamertus Ecclesiæ Viennensis Presbyter (Lib. II. da statu Animae cap. 7.). Petrus Abaelardus. vero, et Raymundus Lullus (Lib. de art: fidei) docent, posse istud demonstrari positive, supposita revelatione; vel saltem demonstratione, quam vocant æquiparantiæ. Verum Theologi omnes Catholici communiter sustinent, nullimode prorsus, etiam posita revelatine, Trinitatis Mysterium ratione naturali demonstrari posse. Quid nos, ex sequentibus patebit. Interim pro majori dicendorum intelligentia sit.

§. 308. *Def.* 1. *Demonstratio est oratio uno vel pluribus constans Syllogismis, quorum propositiones sint evidentes, et necessario connexæ.* Et duplex est, *a priori nempe, et a posteriori.*

§. 309. *Def.* 2. *Demonstratio a priori est illa;* in qua aliquid demonstratur per suum principium;

sive effectus per suam caussam ostenditur. A posteriori autem est illa, qua caussa demonstratur per effectum. Dupliciter quoque aliquid demonstrari potest, vel nempe *positive*, vel *negative*. Tunc aliquid *positive* demonstratur, cum ex intimis rei principiis, aut ex aliis necessario, et stricte connexis probatio colligitur. Tunc autem *negative*, cum solvuntur quæcumque adversus rei possibilitatem afferuntur argumenta. Præter has et alia quoque demonstratio excogitata fuit; illa nempe, quae dicitur *aequiparantiæ*, et est illa, quae fit ab aequalibus, scilicet a propositionibus, quae aequales sunt in evidentia, et certitudine.

PROPOSITIO I.

Sola ratione naturali duce, nequit homo Trinitatis Mysterium positive cognoscere, atque demonstrare, sed tantum negative.

§. 310. Prob. 1. ex Scripturis. Apud Isaiam legitur (Cap. XV.): *Generationem ejus quis enarrabit?* Ac si diceret Propheta, juxta S. Hilarium (Lib. I. de Trinit.): *Non putet homo, sua intelligentia, consequi Sacramentum generationis Divinæ*; Nam, sequitur Ambrosius (Lib. I. de Fide ad Gratianum August. Cap. X.): *Impossibile est generationis* (Verbi Divini), *scire secretum; mens deficit, vox silet, non mea solum, sed et Angelorum.* Deinde apud S. Matthaeum (Cap. XI. v. 27.) ait Christus Dominus: *Nemo novit Filium, nisi Pater, neque Patrem quis novit nisi Filius, et cui voluerit Filius revelare.* Quare cum ipse Dominus Discipulos suos interrogasset, quem homines se esse dicerent Filium hominis; et Petrus omnium nomine, respondisset: *Tu es Christus Filius Dei vivi* (Matth. Cap. XVI. v. 16. 17.), statim ipse subjunxit: *Beatus es Simon Bar-jona, quia caro et sanguis non reve-*

lavit tibi, sed Pater meus, qui in Cœlis est; Nempe » Ideo beatus es (explicat S. Leo Papa (Serm. I. » Anniv. Assumpt. suae.), quia Pater meus te docuit: » nec terrena opinio te fefellit, sed inspiratio cœle- » stis instruxit, et non caro, et sanguis, sed ille » me tibi, cujus sum unigenitus Filius, indicavit». Ergo sola etc.

§. 311. Prob. 2. hac theologica ratione: Quælibet positiva demonstratio vel fit a priori per caussas, vel a posteriori per effectus (§. 309.); Atqui Mysterium Trinitatis neque a priori demonstrari potest, quia nulla illius est caussa, neque a posteriori quia nullus est effectus ad extra, qui proprius sit alicujus Divinæ personæ, et ad Trinitatis cognitionem nos quasi manuducere possit; Ergo etc. Prob. min. quoad 2. partem. Dei effectus ad extra, nempe creaturae, non producuntur a Deo, ab eoque dependent ut Trino, aut a proprietatibus Personarum, sed a Deo præcise ut unus est, Omnipotens, et Creator; adeo ut quamvis Deus, per impossibile, non esset Trinus in Personis, adhuc tamen, summa potentia praeditus, et rerum creatarum effector conciperetur; Ergo etc.

§. 312. At demonstratione æquiparantiæ, optime ait Raymundus Lullus, Mysterium Trinitatis ostendi potest? Somniantium figmenta! Nam « pluralitas Per- » sonarum, inquit S. Bonaventura (Sent. Lib. I. » Dist. III. q. 4.), cum unitate essentiæ est pro- » prium Divinæ naturæ solius, cujus simile nec re- » peritur in creatura, nec potest reperiri, nec ra- » tionabiliter cogitari: ideo nullo modo Trinitas per- » sonarum est cognoscibilis per creaturam, rationabi- » liter ascendendo a creatura in Deum ». Ergo etc.

§. 313. Prob. II. Pars. Quod est falsum, nequit demonstrari verum; sed impossibilitas Trinitatis est falsa, ut docet Fides; ergo nequit demonstrari vera. Deinde, non est evidens quod Trinitas non existat; Ergo neque evidens erit ejus impossibilitas et

repugnatia. Prob: consa. Sicuti possibilitas terminorum infertur ex existentia, ita eorum impossibilitas ex non existentia infertur; Ergo si nequit naturali lumine demonstrari, Trinitatem non existere, neque poterit naturali lumine ejus repugnantia evinci.

§. 314. Prob: iterum eadem pars. Si quae ratio naturalis posset demonstrare divinae Trinitatis impossibilitatem, maxime quia hoc Mysterium repugnat principiis metaphysicis, universalissimis et notissimis; vel quia repugat cum principiis artis Syllogisticae; vel denique, quia Trinitas Personarum in unitate essentiae Divinae pugnat cum ipsis intimis Dei praedicatis; sed neutrum horum est verum; Ergo etc. Prob: min: solutione argumentorum, ut infra.

Adversariorum objecta solvuntur.

§. 315. *Objic.* Seclusa revelatione, et sola naturali ratione ostenditur Deum existere; Atqui Deus est Trinus; Ergo sola ratione ostenditur Deum esse Trinum; adeoque falsa propositio.

§. 316. R. dist. maj. Seclusa etc., ut unus est conc., ut Trinus, nego maj., conc. min., et n. consm. Sola ratione naturali, ex rebus hujus Mundi aspectabilibus Deum existere demonstratur. Cum namque res hujus Mundi sint effectus, creaturae nempe; cumque effectus sine caussa efficiente esse non possint (§. 7.), si existunt effectus, et Deus eorum caussa existat necesse est. Ex hoc autem nihil aliud adstruitur, quam Deum unum existere, non vero ipsum esse quoque Trinum in Personis. Nihil enim in creatis rebus relucet, ex quo Trinitas Personarum in Deo argui possit.

§. 317. *Contra.* Atqui sola naturali ratione, ex rebus creatis existentia Dei, etiam ut Trinus est, ostenditur; Ergo n. r. Prob. subsm. In rebus creatis multa sunt Dei indicia, etiam ut Trinus est; Ergo etc.

§. 318. R. dist. ant. In rebus creatis etc. quae cognoscuntur ab intellectu fide illustrato circa hoc Mysterium, conc.; secus n. ant., et consm. Multa quidem in rebus creatis indicia relucent Dei, etiam ut Trinus est, eaque Ecclesiæ Patribus probantur (1) Verum ea fidelibus Trinitatis Mysterium credentibus auxilio sunt ad intelligendum aliquatenus, et explicandum tale arcanum; non vero sunt principia, quibus non credentibus evidenter Trinitas demonstrari possit.

§. 319. *Contra.* Atqui in rebus creatis, secluso fidei auxilio, indicia Trinitatem demonstrantia cognoscuntur; Ergo n. r. Prob. subsm. Secluso fidei auxilio, in rebus creatis cognoscuntur indicia, Dei proprietates demonstrantia; Atqui Trinitas Personarum in Deo una est ex proprietatibus Dei; Ergo etc.

§. 320. R. dist. maj. proprietates absolutas, quæ in idea, quam habemus Divinitatis relucent, et continentur, conc. maj.; relativas, et quæ in ea idea non continentur, nego; et contrad. min., n. consm. Personarum Trinitas in Deo, esto accipi possit tamquam proprietas quaedam, quae ex Dei natura profluit; in idea tamen, quam Divinitatis habemus ex rebus creatis, ac meditatione comparatam, ea proprietas certe non relucet, neque colligi inde potest (2).

---

(1) *Vid.* Joannis Dardraei *Loci communes similium et dissimilium v.* Trinitas. Frassen *Tract. III. Disp. I. art. 1. q. 3. Concl. 2.* Estius *in I. Sent. Dist. III. §. 9. 10.*

(2) Quae vulgo contra expositam thesim opponi solent, et alia illis similia, satis obvia sunt penes Auctores Theologos, praesertim *Tournely* Tomo. II. art. 1. pag. 6. *Boucat* Tomo II. Dissertat. I. art. 3. *Habert* Tomo I. Tract. de Deo Trino Cap. XI. *Estium* in I. Sent. Dist. III. §. VIII.

§. 321. *Objic:* contra secundam partem. Trinitatis Mysterium, principiis humanæ rationis repugnat; Ergo etc: Prob: antec. Principium sane, humanæ rationis notissimum, est illud: *Quæ sunt eadem uni tertio, sunt eadem inter se;* sed Trinitatis Mysterium hujusmodi principio repugnat: Ergo etc. Prob: min: Pater, et Filius, et Spiritus Sanctus, in Divinis, idemtificantur cum essentia, et inter se realiter distiguuntur, unde non idemtificantur ad invicem; Ergo etc.

§. 322. R. dist: antec: Pater etc: idemtificantur realiter cum essentia, et personaliter ad invicem distinguuntur, conc: antec; et etiam realiter distinguuntur ad invicem quatenus important plures res, n: antec., et consm. Principium hoc: *Quæ sunt eadem uni tertio, sunt eadem inter se*, taliter intelligi debet, ut quæ idemtificantur cum tertio, quo pacto sunt idemtificata cum tertio, sic debent esse eadem inter se. Ita ut si cum tertio idemtificentur realiter, realiter quoque sunt eadem ad invicem; si personalem habeant cum tertio entitatem, personalem pariter, ad invicem, debent idemtitatem habere. Unde quia Pater, et Filius in Divinis, habent realem idemtitatem cum essentia, hanc pariter idemtitatem habent ad invicem, cum eadem sint res. Quia vero non habent idemtitatem personalem cum tertio, quia sunt duæ personæ, idcircò neque debent idemitatem personalem ad invicem habere: et ita dicendo hoc, Deum esse unum in essentia, et Trinum in personis, principio illo: *Quæ sunt eadem uni tertio* etc: non repugnat.

§. 323. *Contra.* Atqui repugnat quod detur realis idemtitas cum essentia, et personalis distinctio in Trinitatis mysterio; Ergo n: r: Prob: subsm. Si Pater et Filius, in Divinis, possent habere realem idemtitatem cum essentia, et personalem distinctionem ad invicem, quidquid diceretur de essentia deberet

adfirmari de ipsis Personis; Sed hoc est falsum, cum de essentia divina dicatur, quod communicetur, de personis autem, quod non communicetur; Ergo vel Divinæ personæ non possunt habere ad invicem personalem distinctionem, vel non possunt realem identitatem habere cum essentia; Ergo etc.

§. 324. R. n: consm. Nam communicari, et non communicari sunt duo contradictoria, quæ nequeunt convenire eidem rei, secundum eamdem formalitatem, bene vero secundum formalitatem diversam. Unde de Filio, quia est idem cum essentia divina, potest dici quod communicetur secundum Divinam essentiam, et quod non communicetur secundum rationem relativam, seu secundum filiationem. Et en quomodo Filius est idem cum essentia Divina, et est distinctus ab alia persona.

§. 325. *Contra.* Atqui quidquid affirmatur de essentia Divina debet pariter affirmari de personis; Ergo si de essentia dicitur quod communicetur, secus autem de Filio v: g:, hoc mysterium, semper principiis humanæ naturae notis, dicendum est repugnare: Prob: Subs: Hoc principium: *dici de omni*, est lumine naturæ notum, et significat, quidquid affirmatur de superiore, debet pariter de inferiore affirmari; sed natura divina se habet veluti quid superius ad ipsas personas; Ergo quidquid affirmatur de essentia Divina debet pariter etc.

§. 326. R. dist: maj: Hoc principium etc. si praedicatum illud quod adfirmatur de superiore sit etiam inferiori commune, conc: maj; si tantum superiori conveniat, n: maj, min:, et consm. Principium hoc: *dici de omni*, significat utique, quod quidquid convenit superiori et de ipso affirmatur, debet pariter de inferiore affirmari. Hoc tamen verum est quando praedicatum, quod convenit superiori, potest pariter inferiori competere, uti patet in hoc syllogismo: *Homo est animal rationale*; *Petrus est*

homo ; ergo est animal rationale ; in quo rationalitatis ratio et homini, et Petro convenit. At quando praedicatum superiori convenit, ut nequeat inferiori competere, tunc praedicatum ipsum non potest de inferiore affirmari. In casu, praedicatum communicabilitatis est taliter proprium ipsius Naturæ divinae, ut nullatenus personis possit competere, et de illis affirmari, cum personæ propter oppositionem relativam producentis et producti, quam ad invicem dicunt, nequeant hanc communicabilitatem ad invicem habere. Si ergo vere ad hujusmodi explicationes, quas patiuntur principia lumine naturae nota, advertatur, eruetur certo, Trinitatis Mysterium nequaquam hujusmodi principiis repugnare.

PROPOSITIO II.

Neque etiam posita revelatione, accepta notio SS. Trinitatis, positivis argumentis demonstrari potest.

§. 327. Prob: auctorit: Patrum. Sanctus Dyonisius Areopagita (lib: 10. de Div: nom:) sic loquitur de Trinitatis Mysterio: « Illa superssubstantialis » unitas; et illa supra mentem unitas . . . . non » effabilis ratione, intelligentia, nomineque vacans, » nullius rei similitudinem habens. . . summæ qui- » dem Divinitatis arcanum illud, quod omnem in- » telligentiam substantiamque transcendit ». Sanctus Athanasius (Epist: 1. ad Serapionem) Arianos exagitans, ita contra eos invehitur: « O stulti, atque ad » omnia audaces et precipites! quare non potius San- » ctam Trinitatem curiose scrutari desinitis, eamque » esse dumtaxat creditis, Magistrum Apostolum hac » in re imitati, cujus hæc sunt verba: credere enim » oportet primum Deo, quia est ». Sanctus Augusti- » nus (lib: 15. de Trinit: cap: 16.): « Quis, » inquit disputandi modus? quaenam tandem vis in-

» telligendi atque potentia, quæ vivacitas rationis, » quæ acies cogitandi ostendet . . . . quomodo sit » Trinitas? » Sanctus Fulgentius (lib: II. ad Trasimundum cap: 1.) «: Sola, ait, immutabilis illa » sempiternitas Trinitatis reperietur incomprehensibili- » tatis digna miraculo, quæ sic excedit omne quod » cogitare, vel sapere possumus, sicut superat omne » quod sumus ». Et ut alios taceamus, Sanctus Bernardus (lib: 5. de considera: cap: 8.) inquit « Sa- » cramentum hoc (scilicet SS. Trinitatis) magnum » est, et quidem venerandum non scrutandum. Quo- » modo pluralitas in unitate, aut ipsa in pluralitate? » scrutari hoc temeritas est; credere, pietas; nosse via » et vita aterna ». Unde concludunt Theologi, impossibile prorsus esse per rationem naturalem ad cognitionem Trinitatis Divinarum Personarum pervenire. Quod quidem supposita etiam hujus Misterii revelatione intelligendum est. Nam laudati Patres non adversus Philosophos tantum, sed adversus Hæreticos loquebantur, et quidem in tempore quo SS. Trinitatis revelatio jam facta fuerat.

PROPOSITIO III.

Ne probabili quidem ratione, de naturæ principiis petita, adstrui potest hoc Mysterium.

§. 328. Prob: Nam unitas essentiæ in tribus Personis realiter distinctis, naturæ legibus ac rationis principiis parum consona videtur; in qua, unaquæque res suam habet ab altera discrepantem, saltem numero, naturam. Deinde nullum est naturale objectum, quod talem probabilitatem menti humanæ ingerere potest; et si fortassis mens humana apprehenderet tres Deos, non posset cogitationem suam ab hac apprehensione revocare. Ergo etc.

§. 329. *Coroll.* Clarissime itaque patet Vulgus

Gentium, nihil umquam de Trinitatis Mysterio ante Domini adventum cognovisse. Nam Gentes ante Christi adventum orbatæ erant divina revelatione; hocque beneficium Gens Judea solum obtinuit, juxta illud Davidis (Psal: 75.): *Notus in Judea Deus: in Israel, magnum nomen ejus*; et (Psal: 102.): *Notas fecit vias suas Moysi, filiis Israel voluntates suas*; et (Psal: 147. v. 20.): *Non fecit taliter omni nationi, et judicia sua non manifestavit eis.* Si ergo Judæorum vulgo., licet facta illi populo fuisset divina revelatio, et quidem SS. Trinitatis, hoc Mysterium non innotuit, a fortiori vulgo Gentilium non fuit notum.

PROPOSITIO IV.

SS. Trinitatis Mysterium adeo est humanæ rationi impervium, ut ne quidem ipsi Philosophi inter Ethnicos ipsum distincte noverint.

§. 330. Prob: 1. ex Scriptura. Apostolus (I. Cor. II.) ait: *Sapientiam loquimur inter perfectos: sapientiam vero non hujus sæculi . . . . sed loquimur Dei sapientiam in Mysterio qua abscondita est . . . . quam nemo Principum hujus sæculi cognovit.* Ex quibus tale exurgit argumentum: Si est aliqua sapientia et veritas, quæ magis loqui debet inter perfectos, atque abscondita est in mysterio, ea est proculdubio Trinitas Personarum in unitate naturae; Ergo si alia sapientia, multo magis hæc a nemine Principum hujus sæculi, Philosophorum nempe, ut ait hic Dius Thomas, cognita est; Adeoque etc:

§. 331. Prob: II. ratione Theologica. Si Philosophi inter Ethnicos hoc Mysterium novissent, id certe ratione naturali assequi debuissent; Atqui ratione naturali neque a priori, neque a posteriori hoc Mysterium potest cognosci (§. 311.): ergo etc. Deinde antiqui philosophi, ut ait Apostolus (Rom. I.

v. 21.), esto ex rebus hunc Mundum adspectabilem componentibus potuissent agnoscere Deum, et de facto eum existentem agnoverunt, non sicut tamen Deum glorificaverunt; quippe qui tot distinctos Deos admiserunt; quapropter dicentes se esse sapientes, stulti facti sunt; Ergo si in veri Dei unici cognitione, infantium insensatorum more erraverunt, multo magis Trinitatis Mysterium cognoscere non potuerunt. Adeoque etc.

Adversariorum objectiones solvuntur.

§. 332. *Objic.* Multorum Patrum sententia est, quamplures philosophos veluti Platonem, Zoroastem, Mercurium Trismegistum, aliosque penetrasse, Deum esse unum in essentia, et Trinum in Personis (1); Ergo etc. Adeoque falsa propositio.

---

(1) Id sane asserunt Justinus Martyr (in Orat. ad Gentes), Clemens Alexandrinus (Lib. V. Stromatum), Cyrillus (Lib. 1. et 2. contra Julianum); prae aliis vero Eugubinus (Lib. 1. et 2. de perenni Philosophia). Atque primo divinum Platonem afferunt. Hic namque posuit *summum Deum*; deinde asserit ab hoc genitam *mentem*, per quam is alia fabrefecit; ac demum *Tertium*, quem vocat *Animam Mundi*; cujus intuitu Claudianus Mamertus, de illo ait apud Eusebium lib. II. de Praep. Evang.): « Qui tantis saeculis » ante puerperium Virginis, ante praedicatam summae Trinitatis in Gentibus unitatem ineffabilem, u» num, tres in divinitate Personas laudabili ausu, » mirabili ingenio, non imitabili eloquio quaesivit, in» venit, prodidit ». 2. Zoroastem Chaldaeum, qui scripsit « Monas genuit duam, et in toto Mundo lucet Tri» nitas ». 3. Mercurium Trismegistum, qui ait « Mo» nas genuit Monadem, et in se suum reflexit amo» rem ». Quare S. Augustinus de Platonicorum Libris agens (Lib. 7. Confess. Cap. 9.), inquit: « Legi

§. 333. R. dist. antec. Multorum Patrum etc; et hoc Philosophi agnoverunt solo naturali lumine, n. antec.; ex fide et revelatione conc; Ergo etc. n. consm. Esto asseveranter dici nequeat, Platonem, Zoroastem, et Mercurium Trismegistum veram SS. Trinitatis notitiam habuisse; dato quod eam revera habuerint; quid inde? fuerunt ne illam solo rationis lumine adepti? nequaquam. Id enim est prorsus impossibile (§. 310.) si ergo illam habuerunt, mutuati utique fuerunt vel ex Moysis Scriptura, quam facillime ad manus habere poterant, vel ex Sybillis; quibus ut refert Sanctus Augustinus cum aliis, Deus ob virginitatis praerogativam qua exornatae fuere, prophetiae donum concessit, atque abstrurissima quæque Mysteriae fidei revelavit: uno verbo: ex fide et revelatione habuerunt.

§. 334. *Contra.* Atqui Philosophi, quin habuerint recursum ad Libros Moysis, et Sybillinos, hoc est ad revelationem, Trinitatis Mysterium cognoscere poterant; Ergo n. r. Prob. subs. Laudati Philosophi, solo naturali lumine poterant cognoscere, Deum esse unum in essentia; poterant pariter penetrare, ipsum esse agens nobilissimum, scilicet per intellectum, et voluntatem; sed ex hac cognitione poterant Trinitatem Personarum cognoscere; Ergo etc.

§. 335. R. dist: maj: Laudati Philosophi etc: poterant pariter penetrare ipsum esse agens per intellectum et voluntatem, hoc est esse operativum per intellectum, et voluntatem, conc: maj; hoc est esse agens productivum per intellectum, e productivum per voluntatem n: ma:; et dist. min; Sed ex hac cogni-

» ibi non quidem his verbis, sed hoc idem omnino
» multis, et multipliciter suaderi rationibus, quod in
» principio erat Verbum, et Verbum eret apud Deum,
» et Deus erat Verbum ».

tione etc:, si cognovissent ipsum Deum esse productium per intellectum, et per voluntatem, conc: min:, si cognovissent ipsum Deum esse tantum per has potentias operativum, n: min; Ergo etc. n: consm. Philosophus cognoscendo, Deum esse nobilissimum agens, hoc est per intellectum, et voluntatem, ad summum poterat ex hoc eruere, Deum per hujusmodi potentias operativum esse; non autem per intellectum esse, et per voluntatem productivum Amoris, seu Spiritus Sancti, in quo Trinitas consistit.

§. 336. *Contra*. Atqui Philosophi praedicti cognoscendo Deum esse agens per intellectum, et voluntatem, cognoscere pariter poterant naturaliter Divinum Intellectum esse productivum, et voluntatem quoque productivam; Ergo a capite argumentum. Prob: subs: Philosophus evidenter naturaliter cognoscit, intellectum creatum fœcundatum ex praesentia objecti producere, verbum mentis, et voluntatem creatam ita quoque foecundatam producere amorem; Ergo etc.

§. 337. R. dist: antec: Philosophus etc. et hoc quod est intellectum creatum producere verbum mentis, et voluntatem creatam producere amorem, est producere accidens in diversitate naturae, conc: antec; est producere aliquid in idemtitate naturæ, n. antec; et consm. Intellectus noster si producit verbum mentis, et voluntas nostra si producit amorem, producunt accidens a seipsis distinctum. Unde ex hoc Philosophus posset ad summum cognoscere intellectum Divinum, et voluntatem Divinam producere quoque accidens distinctum, et sic numquam ad tanti Mysterii cognitionem ex naturali ratione poterit quilibet intellectus pertingere: Quoniam Mysterium Trinitatis consistit in hoc, quod Pater producat Filium in idemtitate naturae, hoc est communicando ei omnia quae habet, praeter Paternitatem; et quod Pater et Filius produ-

tant Amorem, seu Spiritum Sanctum; ei quoque omnia communicando, praeter rationes relativas.

§. 338. *Contra.* Atqui Philosophi possunt naturaliter cognoscere intellectum, et voluntatem Divinam producere aliquid in idemtitate naturae; Ergo n: r: Prob: subs: Evidenter naturaliter constat, intellectum creatum, et voluntatem creatam producere accidens in seipsis receptum, et in diversitate naturae, quia potentiae finitae sunt et limitatae; Ergo quando potentia est infinita, evidenter naturaliter constat, quod producat aliquod in identitate naturae; sed naturaliter constat, intellectum et voluntatem Divinam esse potentias infinitas; Ergo evidenter naturaliter constat, intellectum, et voluntatem Divinam esse potentias infinitas ergo evidenter naturaliter constare debet quod Deus per intellectum producat Verbum, et per voluntatem producat amorem in idemtitate naturae.

§. 339. R. n. primam consm. Nam nos naturali lumine cognoscimus Deum esse infinitum, et ex eo, quod creaturas producat, non arguimus eas in naturae idemtitate producere. Unde infinitas potentiae productivæ non est sufficiens ratio, quare naturali lumine possimus eruere per ipsum Deum Verbum mentis, aut Amorem in naturae idemtitate relucere.

§. 340. *Contra.* Atqui evidenter id naturali lumine cognoscere possumus; ergo n. r: Prob: subs: Naturali lumine evidenter cognoscimus, Deum esse agens infinitum perfectissimum; adeoque agens infinitum univocum, sed agens infinitum univocum, idemtitate naturae producit effectum; ergo semper ex infinitate naturae arguitur, quod producatur aliquid in idemtitate naturæ.

§. 341. R. n: consm. Nam agens univocum exigit quidem producere aliquid, verum in similitudinem, non autem in identitatem naturae. Quare etsi naturali ratione cognoscatur, quod Deus sit agens univocum, solum potest ex hoc erui, quod gignat

Personam habentem similem, sed distintam Deitatem, non vero eamdem. Ultramquam quod, licet concedatur quod naturali lumine possit attingi, Deum producere Verbum, aut Amorem in identitate naturae, non possumus tamen esse certi naturaliter, quod Verbum producat, aut possit aliud Verbum producere; et sic quoque de Amore, seu de Spiritu Sancto. Unde numquam naturali lumine SS. Trinitatis Mysterium detegi potest.

Quaeres. Quasnam imagines ac similitudines ad SS. Trinitatis Mysterium, non jam probandum, sed solum explicandum Patres adduxerint?

§. 342. R. Plures sunt imagines atque similitudines, quaeis ad SS. Trinitatis Mysterium explicandum, non autem probandum usi sunt Patres. Praecipuas hic tamen recensebimus. Ac primam quidem desumunt ex aqua. « Nam fons, fluvius, et potio sunt aqua, inquit Sanctus Augustinus (serm: 37. de verb: Apost. cap. 7.), et tamen nihil horum est alterum. Item si ex fonte tria pocula repleantur, posse dici tria pocula, tres autem aquas non posse dici; sed omnino unam aquam, quamquam de singulis poculis interrogatus, in quolibet illorum aquam esse respondeas (lib: de fid: et symb: cap: 9.). Aliam a Sole mutuantur. In Sole siquidem, ait laudatus Doctor (Serm: 1. cap: 3.) tria sunt; et sicut videmus separari non possunt, cursus, splendor, et calor. In Sole, inquit etiam Sanctus Athanasius (quaes: 4.) videntur orbis, radius, et lux, et tamen non dicuntur tres Soles, sed unus Sol; et ut alios praetereamus, ait Sanctus Bonaventura (Serm: 13. lumin: Eccles: Sol habet substantiam, splendorem, et calorem: sic Deus habet principium originans seu Patrem, splendorem Filium, calorem Spiritum Sanctum. Tertiam ab igne desumunt; in igne etenim sunt simul splendor, motus et calor, ait laudatus Augustinus (de fid: et oper: cap. 9.), qui

et quartam quoque profert (lib. 14. de Trin.) dicens: « Quisquis hæc tria, scilicet memoriam, intelligentiam, et voluntatem in sua mente naturaliter » divinitus instituta vivaciter perspicit . . . . profecto summæ illius Trinitatis imaginem perspiciet ».

CAPUT II.

De SS. Trinitatis existentia.

§. 343. *Animad.* Varie variis temporibus circa SS. Trinitatis existentiam errarunt Hæretici. Qui primus omnium contra tam ineffabile Mysterium erexit signum, Simon Magus fuit. Hic namque per summam insaniam affirmabat, teste Augustino (Lib. de Hæresibus ad Quodvult Deum Cap. I.) « Se in monte » Sina Legem Moysi in Patris persona dedisse Ju» daeis; tempore Tiberii, in Filii persona putative » apparuisse, postea se in linguis igneis, Spiritum » Sanctum super Apostolos venisse ». Quare unam tantum in Deo personam admittebat. Post hunc Valentinus inter, alia hæresum portenta, hanc docuit; totam nempe Trinitatem esse passam. Et quidem ab hoc parum distat Praxeas, qui, ut inquit Tertullianus (Lib. de Praescriptionibns Cap. ult.) « Deum » Patrem Omnipotentem Jesum Christum esse dicit; » hunc Crucifixum, passumque contendit, et mortuum: » praeterea seipsum sibi sedere ad dexteram suam ». Noetus vero docuit Patrem, Filium, et Spiritum S. non solum naturæ, sed et Persona unum esse Deum. Idipsum tenuit Sabellius, dicens unam in Deo esse Personam, sicuti una est in eo essentia; hancque Patrem dici cum Legem dedit, Filium cum humanam carnem assumpsit; Spiritum Sanctum, cum super

Apostolos delapsus est. Præter hos et alii fuerunt SS. Trinitatis hostes (1), de quibus alibi redibit sermo.

PROPOSITIO

Pater, Filius, et Spiritus Sanctus sunt tres verae, reales, subsistentes Personæ.

§. 344. Prob. 1. ex Veteri Testamento. In Genesi legitur (Cap. I. v. 25. 26.): *Et vidit Deus quod esset bonum, et ait: Faciamus hominem ad imaginem, et similitudinem nostram*; Ergo in Deo est pluralitas Personarum in unitate naturæ; « Dum » enim, ait Theodoretus (Quæst. XIX. in Genes.), » dixit *Deus*, communionem Divinæ naturæ explanavit: subjungens autem illud *faciamus*, expressit numerum personarum. Similiter cum iterum » singulari numero dixit, *imaginem*, eamdem esse » naturam ostendit ». Ibidem (Cap. XIX. v. 24.), hæc habentur: *Dominus pluit super Sodomam, et Gomorrham sulphur, et ignem, a Domino de Cœlo. Dominus pluit*; en unitas Divinæ naturæ: *pluit a Domino*: en pluralitas Personarum. Sed clarius in Isaia (Cap. VI. v. 3.) legitur: *Seraphim . . . clamabant alter ad alterum; Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus, Deus exercituum*; nempe, ut interpretatur Rabbi Simeon: *Sanctus hic est Pater, Sanctus hic est Filius, Sanctus hic est Spiritus Sanctus.* Et sane: « Quid sibi vult, inquit S. Ambrosius (Lib. II. de Fide ad Gratianum.), sub uno » nomine sanctitatis trina repetitio? Si trina repetitio, cur una laudatio? Si una laudatio cur trina » repetitio? Trina repetitio cur, nisi quia Pater,

(1) *Vide* Tournely *Tomo II. art. IV.* Gener *Tomo II. Tract. III. Lib. I. §. 656.*

» et Filius, et Spiritus Sanctus sanctitate unum sunt ?
» Non dixit semel, ne Filium sequestraret: non bis
» ne Spiritum Sanctum praeteriret: non quater ne
» creaturas conjungeret, et ut ostenderet Trinitatis
» unam esse Deitatem, cum ter dixisset *Sanctus*,
» *Sanctus*, *Sanctus*, addidit singulariter, *Dominus*
» *Deus Sabaoth* ». Ergo etc. (1).

§. 345. Prob. 2. ex Novo Testamento. Apud Matthæum (Cap. ultim. v. 17.) ait Christus discipulis suis: *Euntes, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti.* Quid clarius? Rursus apud Joannem sic ait (Cap. XIV. v. 16.): *Ego rogabo Patrem, et alium Paraclitum dabit vobis, ut maneat vobiscum in æter-*

---

(1) Ex his, aliisque testimoniis, quae apud saepius landatos Auctores legi possunt, plane sequitur, Patriarchis saltem, atque Prophetis Veteris Testamenti apertam SS. Trinitatis notitiam divinitus fuisse concessam; nonnisi autem suboscuram Legis peritis; Judaeorum autem vulgo aut nullam, aut valde imperfectam. Unde et de Prophetis ajebat Christus Dominus (Matth. 13. v. 17.): *Multi Prophetae, et justi cupierunt videre quae vos videtis* etc.; Et (Joan. 8. v. 55.): *Abraham pater vester exultavit ut videret diem meum; vidit et gvius est.* Quomodo ergo tam ardens desiderium in Prophetis, nisi Verbum Patris in carne venturum divinitus cognovissent? Et quid Abraham vidit, nisi spiritu Messiam? Quoad vero Legis peritos, vide quomodo idem Dominus (Joan. 5. v. 39.) eos ad Scripturas remittit, dicens: *Scrutamini Scripturas. . . illae sunt, quae testimonium perhibent de me.* Ad quid autem ad Scripturas eos remisisset, nisi esset illis suasum, multa in Scripturis de suo adventu atque gestis contineri? Judaeorum autem vulgo merito Trinitatis notitia denegata fuit, ne ut pronus ad Idololatriam, tres Deos existere putaret. Vide Tournely Tomo II. n. q. art. 2. Concl. 1. 2.

num. Deinde apud Lucam (Cap. III. v. 21. 22.) de Domini baptismo legitur: *Apertum est Cœlum, et descendit Spiritus Sanctus . . . sicut columba in ipsum, et vox de Cœlo facta est: Tu es Filius meus dilectus*. En Trinitas personarum, Filius qui baptizatur, Spiritus Sanctus qui in columbæ specie in eum descendit, et Pater qui de Cœlo Jesum suum Filium confitetur. Sed rem hanc plane conficit Sanctus Joannes, qui plenus ea sapientia, quam ex pectore Domini ebiberat, ita scribit (Epist. I. Cap. V. v. 7.): *Tres sunt, qui testimonium dant in Cœlo, Pater, Verbum, et Spiritus Sanctus, et hi tres unum sunt* (1); Ergo etc.

Satisfit Haereticorum objectis.

§. 346. *Objic*. 1. Præcipuum ex argumentis, quo ex veteri Testamento, ostenditur Trinitas Personarum in Deo, desumitur ex illo Geneseos: *Faciamus hominem ad imaginem, et similitudinem nostram*; Atqui hoc nullius est roboris; Ergo etc. Prob. min. Laudato in loco loquitur Deus in plurali, more Principum, et Regum ad designandam suam majestatem; Ergo, etc.

§. 347. R. n. ans. Nam si quod adversarii praetendunt in argumento verum esset, semper ac Deus de seipso loquutus est, in plurali loquutus fuisset; jam vero, ut cum Teodoreto observant eruditi omnes: « in universa plane Scriptura Divina licet audire Deum omnium singulari numero loquentem » raro autem pluraliter sermonem format, nisi, cum

(1) Hunc Textum veluti adscititium, respuunt Haeretici, sed immerito. Vide ejus vindicias apud Tournely Tomo II. q. IV. art. 4. parte I, Juenin Tomo III. Dissert. I. Cap. II. pag. 15. L' Herminier Tomo II. de Trinit. pag. 26.

» innuit numerum personarum »; Ergo falsum quod Haeretici asserunt. Caeterum, si apud Reges mos invaluit, ut cum aliquid agere velint, dicant *faciamus*, id est, quia ut plurimum, in rebus peragendis consilio, et ministerio suorum Optimatum utuntur; ridiculum namque foret Regem audire, qui dum solitarius sedet, dicat sibimetipsi *faciamus*. Nihil ergo laudato argumento adversus thesim nostram conficitur.

§. 348. *Contra.* Atqui laudato in loco, more Regum Dominus locutus est, dicens *faciamus*; Ergo n. r. Prob. min. subs. Ex concessis, Reges utuntur verbo plurali *faciamus*, quia Optimates alloquuntur, quos sibi ministros adsciscunt; Ergo pariter Deus loquens in plurali *faciamus*, Angelos alloquitur, qui sunt ministri ejus; Adeoque etc.

§. 349. R. n. utramque consm. cum paritate. Reges terrae, ut ut potentes, et sapientes in rebus peragendis, aliorum adjutorio, et ministerio opus habent, non sic autem Deus qui sibi ipsi sufficientissimus est ad omnia quaecumque vult facienda. Unde Isaias (Cap. XL. v. 43.): *Quis adjuvit spiritum Domini, aut quis consiliarius ejus fuit*? Nullus certè. Sed neque Angeli in rerum creatione adsumi poterunt ad aliquid, sive ut caussae principales, sive ut caussae instrumentales; Cum namque creatio sit rei eductio ex nihilo sive sui, sive subjecti, est actus Divinæ voluntatis, qui in instanti exequitur, neque ullius ministerio indigere potest. Caeterum, nullimode Deus Angelos in hominis creatione alloquutum fuisse, vel ex hoc clarissime patet, quod Angeli non habent cum Deo communem naturam, neque homo ad Angelorum imaginem fieri debebat, factumque sit, sed Dei; unde et subjungitur in Scriptura (Gen. Cap. I. v. 27.): *Creavit Deus hominem ad imaginem et similitudinem suam.*

§. 350. *Contra.* Atqui esto Deus per illud *faciamus*, Angelos non alloquatur, adhuc tamen ex

illo nequit inferri Trinitatis Mysterium; ergo a capite argum: Prob: subs: Hebraicæ linguæ mos est, ut nomina singularem personam significantia, honoris causa, nedum ipsa in plurali efferantur, sed et componantur cum verbo vel adjectivo, vel pronomine in numero pluralitatis; ergo etc: Prob: antec: Genesis (cap: XX. v. 13.) ait Abraham: *Errare fecerunt me Dii, pro errare me fecit Deus.* Et David (Lib. II. Samuel: Cap: VII. v. 23.): dicit: *inverunt Dii*, pro *ivit Deus*, (et Job: Cap. XVIII.) Baldad singularem utique Jobi personam alloquens, ait: *Quando ponetis fines sermonibus.* Quibus positis ita argumentum conformatur. Propositis in locis de singulari profecto persona sermo instituitur; sed iisdem in locis verbum in multitudinis numero ubique adhibetur: Ergo etc: Adeoque etc.

§. 351. R. 1. dist: maj: Sermo instituitur de singulari persona quae loquatur de seipsa, n. maj., secus conc. maj; et conc. min., dist cons. Ergo etc. quando singularis persona loquitur de seipsa, n. consm; secus conc. consm. Non adeo abhorret ab ingenio Hebraicae linguæ, ut aliquando secunda vel tertia persona, causa honoris, cum plurali verbo vel adjectivo, vel pronomine compellari possit, quemadmodum in prolatis locis factum esse cernimus. Est enim in more positum apud Hebraeos, ut testatur Aben Ezra (in Comment. in cap. 1. Genes.), ut inferiores pluralem numerum efferant, cum honorationes adloquuntur, aut de iis verba faciunt; et ut prima persona de seipsa in numero multitudinis loquens inducitur, (quod in priore Gaenesis capite Sociniani evenisse credunt) id vero ab ejus linguae consuetudine est longe alienum. Cum ergo in superiori Gaeneseos loco, verbo *faciamus*, loquatur Deus de seipso, profecto illud accipiendum est, non ut indicet ipsum solum Deum, sed ut personas alloquatur.

§. 352. *Objic.* 2. Apud Isaiam ait Deus (Cap:

XLIV. v. 24.): *Ego sum Dominus faciens omnia extendens Cælos solus, stabiliens terram, et nullus mecum;* Ergo in Deo sicuti est unica natura, ita unica est, et singularis persona.

§. 353. R. conc. ant., neg. consm. Laudato in loco nihil aliud vult Deus nobis ostendere, nisi, ipsum in rerum creatione fuisse solum absque alicujus creaturae consortio, non autem excludit aliarum divinarum Personarum societatem. Nam de eadem creatione per os David loquens, ait (Psal. 32. v. 6.): *Verbo Domini Cæli firmati sunt; et Spiritu oris ejus omnis virtus eorum.*

§. 354. *Contra.* Atqui laudato in loco, non solum creaturarum, sed etiam cujuscumque alterius Personae divinae consortium Deus excludit; Ergo n. r. Prob. subs. Eodem in capite (V. 6.), per eumdem Prophetam Deus dixerat: *Ego primus, et ego novissimus, et absque me non est Deus.* Atqui non esset primus, et novissimus, nisi excluderet Personarum pluralitatem; Ergo etc.

§. 355. R. admit. test., n. min., et consm. Verbis illis: *Ego primus etc.* solum ostenditur Dei unitas in natura et substantia, et excluditur pluralitas inanium Deorum, non vero Trinitas divinarum Personarum improbatur. Nam tres Personae, licet sint ab invicem distinctae, unius tamen, ejusdemque substantiae inseparabili aequalitate divinam insinuant unitatem; Quare non sunt tres Dii, sed unicus et simplex Deus, *primus et novissimus.*

§. 356. *Contra.* Atqui eo in loco *primus et novissimus* dicitur Deus, non solum ad exclusionem inanium Deorum, sed cujuscumque alterius Personae divinae; ergo n. r. Prob. subsm. Quo sensu dictum est apud Isaiam Cap: 44. *Ego primus, et ego novissimus*, eodem sensu additum est capite sequenti v. 6. *Ego Dominus, et non est alter*; sed per haec posteriora verba ostenditur non solum unitas Dei; sed unitas Personae, quae in Deo est; Ergo etc.

Ebion, Arius, Ariani, Semi-Ariani, Acaciani, Aetiani, Michael Servetus, caeterique eorum sectatores. Non desunt Auctores, qui alios hujus erroris fautores, aut suspectos affirmant, ne aliquibus etiam Patribus, nedum Ante-Nicaenis, sed et Post-Nicaenis, sed de hac re consulantur Critici, atque Eruditi (1).

PROPOSITIO.

Divinum Verbum est Deo Patri consubstantiale.

§. . Prob. 1. ex testimonio Dei Patris tam in Veteri, quam in Novo Testamento. Apud Jeremiam ita loquitur Deus (Cap XX. III. v. 5. 6.) *Ecce dies veniunt, dicit Dominus: et suscitabo David germen justum: et regnabit Rex, et sapiens erit et faciet judicium, et justitiam in Terra. In diebus illis salvabitur Juda, et Israel habitabit confidenter: et hoc est nomen, quod vocabunt eum, Dominus justus noster.* In hoc textu, ut patet, loquitur Dominus Pater, qui promittit aliquando suscitaturum in Mundo justum: quis vero erit iste justus? Rex, Sapiens, Judex, pacificus, cujus nomen est *Dominus justus*, hoc est Deus; nam loco: *Dominus justus noster*, in hebræo legitur *Jehovah justitia nostra.* Sed hæc omnia convenire non possunt nisi Verbo Divino, *qui factus est sapientia a Deo, et justitia, et sanctificatio, et redemptio.* (Epist. I. ad Corinth.

---

(1) Gener *Tomo II. de Filio Dei Prolusio: Polermica* §. 785. Tournely *Tomo II. q. IV.* Boucat *Tomo II. Dissert. IV. Sect. 3. per totum*, Iuenin Tomo *III. de Deo Trino q. II. Cap. I. per totum.* Berti *de Theol. Discipl. Lib. VIII*: Herminier *Tomo II. Tract. I. Trinit. De Filii Divinit.*

Cap. I. v. 30.) *Rex Regum dicitur*, *et Dominus Dominantium* (Apud Cap. XIX. v. 16.) atque *judex a Deo constitutus est vivorum*, *atque mortuorum* (Actor Cap. X. v. 42.); Ergo Divinum Verbum etc. Deinde per os David ad Verbum loquens, ait (Psal. 109. v. 8.): *Tecum principium in die virtutis tuæ*, *in splendoribus Sanctorum*: *ex utero ante luciferum genui te*; Atqui *ex utero*, idem est ac ex mea essentia, atque substantia (1); Ergo etc. Tandem cum Christus a Joanne baptizaretur in Jordane, ita vox Patris de Cœlo intonuit (Matth. Cap. III. v. 17. :): *Hic est Filius meus dilectus*, *in quo mihi complacui*; Ergo etc.

§. 360. Prob. 2. ex testimonio ipsiusmet Verbi, cujus testimonium aeque ac illud Patris est infallibile. Et primo quidem ita per Davidem ait Verbum (Psal. 3. v. 7. Luca Cap. IX. v. 33.): *Dominus dixit ad me Filius meus es tu*: *ego hodie genui te*. Quid clarius? Secundo apud Joannem ita inquit (Cap III. v. 16.) *Sic . . . Deus dilexit mundum*, *ut Filium suum unigenitum daret*; et rursus (Cap X. v. 30.): *Ego et Pater unum sumus*; (V. 38.): *Pater in me est*, *et ego in Patre*. *Philippe* (Cap. XIV. v. 9.), *qui videt me*, *videt et Patrem* . . . *Non credidistis*, *quia ego in Patre*, *et Pater in me est*? *Omnia quæcumque habet Pater mea sunt* (Cap. XVI. v. 15.). Tandem, ut cætera taceamus, cum Judæi vellent Jesum lapidare propterea quod Patrem dicebat se habere Deum, sic eos arguit Dominus (Joan. X. v. 37. 38.): *Si non facio opera Patris mei*, *nolite credere mihi*: *si autem facio*; *et si mihi non vultis credere*, *operibus credite*. Ex quibus hoc efformo argumentum. Illud est Deo Patri consubstan-

(1) *Vide* Tirinum, Cornelium A lapide, *aliosque in hunc locum*.

tiale, quod est unum cum Patre, quod est genitum a Patre, quod est in Patre, et Pater in ipso; quod omnia habet cum Patre communia; quodque opera Patris facit; Atqui tale est Verbum Divinum; Ergo etc.

§. 361. Prob. 3. aliis Sanctarum Scripturarum testimoniis tam Veteris, quam Novi Testamenti. In Isaia legitur (Cap. VII. v. 14.): *Ecce Virgo concipiet, et pariet Filium, et vocabitur nomen ejus Emmanuel, hoc est nobiscum Deus;* et alibi idem Propheta inquit (Cap. IX. v. 14.): *Parvulus natus est nobis, et Filius datus est nobis, et vocabitur nomen ejus admirabilis, consiliarius, Deus, Fortis, Pater futuri sæculi, Princeps pacis;* Atqui hæc omnia nonnisi Christo convenire possunt; Ergo etc. Ex Novo autem Testamento celebre est illud Joannis (Cap. I. v. 1.). *In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum;* sicuti illud etiam ejusdem (Epist. I. Cap. V. v. 20.) *Filius Dei venit, et dedit nobis sensum, ut cognoscamus verum Deum, et simus in vero Filio ejus. Hic est verus Deus; et vita æterna.* Quid afferri potest dilucidius pro Verbi Divini cum Patre consubstantialitate? Ergo etc.

§. 362. *Objic.* I. Ideo asseritur Verbum esse Patri consubstantiale, quia, ut ait Joannes: *In principio erat Verbum;* Atqui hoc nihil probat; Ergo falsa propositio. Prob. min. Moyses dicens (Gen Cap. I. v. 1.); *In principio creavit Deus Cœlum et Terram*, non probat eorum æternitatem; Ergo a pari dicens Joannes: *In principio erat Verbum*, non probat Verbum esse æternum, et Patri consubstantiale.

§. 363. R. n. consm., et parit: Immane discrimen intercedit inter primum Geneseos caput, et initium Evangelii D. Joannis. Et sane ad primum, quod attinet, Moysen de temporali creatione loqui satis, superque aperit contextus, qui Deum repræsentat

Mundo contulisse existentiam, formam, et formæ perfectionem, quae tria quilibet artifex potest operi suo conferre. Nam Coelum, et terra, quae initio dicuntur creata, statim appellantur abyssus, et aqua; quare non pro Mundi, terrae, abyssi, et aquae perfectis substantiis accipi debent; sed pro earumdem rudimento, sive pro materia informi, ex qua postea formari, et perfici debebant: id apertissime de Terra stabilitur, quae ab initio dicitur fuisse inanis et vacua, quodque de ceteris substantiis in haexameri descriptione aperte stabilitur. Jam vero informis materiae existentia, seu productio, duo apertissime manifestat, eductionem scilicet ex nihilo, et successivæ durationis, quae cum temporis successione cohaeret; Ergo verba illa Geneseos: *In principio*, nonnisi de rerum factarum, temporisque initio accipienda sunt.

Ad illud vero Joannis: *In principio erat Verbum* etc., ex contextu satis apparet sermonem haberi de aeternitate Verbi, per quod dicitur omnia facta esse, quae facta sunt, ac propterea ipsum Verbum factum non esse. Et certe, ait S. Augustinus (Tract. III. in Joan.): « Quomodo potest fieri, ut » Verbum Dei factum sit, quando Deus per Ver» bum fecit omnia? Si et Verbum Dei ipsum fa» ctum est, per quod aliud Verbum factum est »? Sed factum non esse satis confirmatur, cum dicitur, *et Deus erat Verbum*. Ex quo itaque Moyses verbis illis: *In principio* etc., non probat Cæli et terrae æternitatem, non sequitur Joannem verbis illis: *In principio erat Verbum*, non probare Verbi æternitatem; quia Moyses loquitur de vera creatione, Joannes vero de Verbi Divini æterna generatione.

§. 364. *Contra*. Atqui sicut Moyses verbis illis: *in principio*, Caeli et Terrae aeternitatem non probat ita nec etiam Joannes verbis illis: *in principio erat Verbum*, Verbi æterninatem etc. Ergo n. r. Prob. subsm.: Ideo Moyses verbis laudatis non probat Cæli

et Terræ æternitatem, bene vero Joannes Verbi æternitatem ostendit, quia ex contextu satis apparet, eum loqui de vera creatione, non sic autem Joannes; Atqui etiam Joannes, suis verbis laudatis, de vera Verbi creatione loquitur; Ergo sicut Moyses etc. Prob. min. Eo sensu ait Joannes: *In principio erat Verbum*, quo Verbum de seipso, nomine Sapientiæ ait (Cap. XXIV. v. 14.): *Ab initio, et ante saecula creata sum;* Ergo etiam Joannes etc.

§. 365. R. Dist ans.: Eo sensu etc., et verba illa: *creata sum*, creationem proprie dictam significant sicuti verba Moysis: *creavit Deus Cœlum, et terram*, nego ans; significant creationem improprie dictam, generationem nempe, conc; Ergo etc., nego cons. Verbum *creare* aliquando lato sensu Sacris in literis usurpatur. Hinc ubi in Proverbiis (Ecclesiastici Cap. XXIV. v. 14.), Septuaginta Interpretes habent: *Dominus creavit me initium viarum suarum*, nostra Vulgata latina vertit: *Dominus possedit me etc.*, quod verbum possidere pro generare accipi potest, sicut illud accepit Eva, cum dixit (Genesis Cap. IV. v. 1.): *Possedi hominem*, hoc est genui. Ex adjunctis autem, atque ex verborum sensu argui potest, num *creare*, veram ac propriam creationem significet, nec ne. Quod et videri potest in adducto testimonio, ubi ex adjunctis, atque verborum sensu, manifeste apparet, verbum *creare*, non veram, et propriam, sed impropriam creationem denotare. Ipsa namque Sapientia se dicit certe creatam, sed quando? *Ab initio, et ante saecula;* Ergo ab æterno; Ubi namque non adest sæculum, non adest tempus; et ubi tempus non est, æternitas est. Si ergo ante sæcula, profecto in æternitate. Jam vero ab aeterno potest ne concipi aliquid vere et proprie creatum; eductum nempe ex nihilo sui et subjecti? Minime gentium. Quod creatur, utique antea erat nihil; ergo non ab æternitate, sed in tempore crea-

tur, et in sæculo. Id potest quoque optime confirmari ex eo, quod ipsamet Sapientia, seu Verbum, laudato in Libro, sed Capite V. jam dixerat: *Ego ex ore Altissimi prodivi primogenita ante omnem creaturam*. Si ego ante omnem creaturam primogenita, creatura certe non est Sapientia; quod si creatura non est; Deus est (1).

§. 366. *Contra*. Atqui verba *creata sum* indicant veram creationem, sicut verbum Moysis *creavit*; ergo n. r. Prob. subsm. In adducto S. Joannis testimonio, post verba: *In principio erat Verbum*, sequitur: *et verbum erat apud Deum*; Atqui quod est apud Deum, certe non est aeternum, sed creatura; Ergo Verbum est creatum; adeoque verba *creata sum etc.*

§. 367. R. conc. maj., et dist. Atqui etc. si *apud* accipiatur per *prope*, *aut post*, conc.; si accipiatur per *simul cum* etc., nego min.; Ergo etc., n. utramque consm. Laudato in loco per *apud Deum*, nihil aliud vult indigitare Joannes, quam, Verbum Divinum semper fuisse cum Patre, antequam omnia crearentur, non vero quod sit aliquid creatum *prope* aut *post* Deum. Revera post laudata verba, immediate subjungit: *Et Deus erat Verbum*.

§. 368. *Contra*. Atqui per illa verba: *Verbum erat apud Deum*, satis ostenditur, Verbum esse aliquod a Deo diversum, et creatura; Ergo n. r. Prob. min. subs. Si verba illa indicarent Verbum esse cum Patre, et Patri consubstantiale, et non quid a Deo diversum; Joannes loquendo de eo, vocasset illud absolute Patris unigenitum; Atqui Joannes post laudata verba vocat eum quasi unigenitum, et non absolute Patris unigenitum, dicens: *Vidimus gloriam*

(1) *Consulantur Expositores Sacri in haec loca*, A Lapide praesertim.

ejus, *gloriam ejus*, *gloriam quasi Unigeniti a Patre*; Ergo etc.

§. 369. R. Tota vis hujus argumenti in particula *quasi* reposita est; quare statim evanescit ac advertatur, eam particulam non semper indicare similitudinem rei alicujus cum alia aliqua, sed quandoque veritatem, atque identitatem. Ita apud Lucam (Cap. XXII. v. 44.) legitur: *Et factus est sudor ejus quasi guttæ sanguinis* etc., et tamen scimus, Christum vere sanguinis sudore manasse. Cum ergo particula illa *quasi*, vel *sicut*, in adducto testimonio veritatem, et identitatem significet, ut ex pluribus aliis ejusdem Joannis testibus patet, corruit argumentum oppositum, et firma manet propositio Catholica (1).

§. 370. *Objic*: II. Frustra asseritur Verbum esse Æterno Patri consubstantiale, quoties Christus ipse confessus est, se minorem esse Æterno Patre: Atqui res ita se habet, ait namque (Joannis cap: 14. v. 28.): *Pater major me est*; Ergo etc.

§. 371. R. dist: maj: Patre minorem, ob assumptam humanitatem, n:, secus, conc:, et dist: min: atqui etc, ratione assumptae humanitatis, conc; ratione Divinitatis, n: min: et consm. Pluribus in locis Christus Dominus Æterno Patri se consubstantialem esse et Deum hominem omnium Salvatorem, declaraverat. Præsertim cum apud eumdem Joannem (Cap: 10. v. 30.) dixerat: *Ego et Pater unum sumus*. « Unum, explicat Nazianzenus (Lib: de fid·): » unum inquit ad unitatis Divinitatem refert, sumus » autem Personis assignat ». Et cum apud eumdem Joannem (ib: v. 38.): dixit *Pater in me est*, *et ego in Patre*. Cum ergo in adducto superius testimonio dicit se Patre minorem esse, id non aliter dicit

(1) Vide alia multa apud *Boyvin* Tomo I. De Deo

nisi ratione humanitatis assumptae, non vero Divinae Naturae, quam semper cum Patre retinuit; Adeoque etc.

§. 372. *Contra.* Atqui Verbum est Patre minor ratione etiam Divinitatis; ergo n: r: Prob: subs: Res ita se habet si idem Christus Dominus Deo Patri est subjectus, et mandata ejus observat: Atqui talis est Christus, de quo dicit Apostolus (Cor: 15. v. 28.): *Cum autem subjecta fuerint illi omnia, tunc et ipse subjectus erit ei*; et Christus ipse apud laudatum Joannem (cap: 15. v. 10.): *Ego Patris mei præcæpta servari*; Ergo etc.

§. 373. R. dist: maj: ratione ut supra diximus assumptæ humanitatis, n: Divinitatis conc: maj: et dist: min:, ratione assumptae humanitatis conc: Divinitatis n: min:, et consm. Christus ut Deus est, Aeterno Patri consubstatialis est, ipsique æquale in divinitate; et absurdissimum esset dicere, Christum ratione Divinitatis Deo Patri subditum, atque obedientem. In quibus namque unica est Natura Divina, subjectio esse non potest. Quod ergo Christus dicatur Deo Patri subditus, et obediens, id est ratione assumptae humanitatis, qua propter nostram salutem de Cœlo descendere dignatus est, et homo fieri. Hinc Apostolus (Philipp. Cap. II.): *Christus* ait *humiliavit semetipsum, factus obediens usque ad mortem, mortem autem Crucis.* Quoties itaque sermo est de Christo, seu de Verbo carne facto, sedulo distinguendæ sunt in ipso duae Naturae; Divina nempe, et humana; Divina qua æqualis est Patri et verus Deus ut Pater; humana vero, qua minor est Patre, et homo ut nos iisdem circumdatus infirmitatibus, quas pro sua clementia, et benignitate assumere dignatus est, ut genus humanum ab horrenda peccati et Diaboli servitute liberaret.

§. 374. *Contra.* Atqui Verbum incarnatum, ratione etiam Divinitatis, est Deo Patri subditus; ergo a cap.

argument. Prob: subs; Ille Deo Patri est subditus: qui nescit omnia, quæ scit Pater; qui nihil facère potest a semetipso absque Patre; qui doctrinam, quam habet a Patre habet; atqui ita se res habet, nam Christus diem judicii ignoravit; interrogatus namque de illo respondit (Matth: 24. v. 36.): *De die autem illa, et hora nemo scit, neque Angeli Cælorum, nisi solus Pater*; et apud Joannem: *Christus nihil facere potest ex semetipso, nisi viderit Patrem facientem*; et apud eumdem (cap. 7. v. 16. etc.) Christus ipse inquit; *Doctrina mea non est mea, sed ejus qui misit me;* Ergo etc.

§. 375. R. Et ad id quod affertur primo loco; Christum nempe diem judicii nescire, dicimus, ideo hoc de Christo adfirmari, non quia revera diem judicii ignoraverit, sed quia illum non aperit atque manifestat. Ad rem Augustinus: « Bene accipitur, » id quod dictum est, solum scire Patrem, sic dictum » esse, quia facit Filium scire, et quod dictum est » nescire Filium, sic dictum esse, quia facit nescire » homines, id est non prodit eis quod inutiliter sci» rent ». Illud vero quod addebatur, Filium nihil posse a se facere, non infirmat, sed potius confirmat nostram thesim. Etenim verba illa non arguunt impotentiam, seu virtutis defectum in Filio, quin potius ejus Divinam essentiam demonstrant. Nam quæcumque habet Filius, a Patre per æternam generationem habet. Unde quidquid Filius habet, Patris est, et quidquid Patris est, est quoque Filii, juxta illud Joannis (Cap. 16. v. 15.): *Omnia quæcumque habet Pater mea sunt.* Idipsum dicendum de doctrina, quam Patris esse Christus ipse adfirmat. Adeoque etc.

CAPUT IV.

De Spiritus Sancti Divinitate, ejusque cum Patre, et Filio consubstantialitate.

§. 376. *Animad.* Non minus adversus Verbum Divinum quam adversus Spiritum Sanctum, tertiam in Divinis Personam, Haeretici linguas suas sicut serpentis acuerunt, eum nedum contristantes indignis operibus, sed et penitus negantes; peccato inde tam enormi se onerantes, quod remissione indignum est sive in hoc, sive in futuro saeculo. Atque illi potissimum, qui in Spiritum Sanctum peculiarius, et vehementius debacchati fuerunt, vocantur. Ebionitae, qui eo dementiae devenerunt, ut dicerent, Spiritum Sanctum esse fœminam, et Christi sororem; Macedoniani, et Sociniani, qui Spiritum Sanctum, non natura Deum, sed creaturam, virtute tamen, et efficacia, Dei ministrum esse dicebant. His accensendus est Valentinus, qui Spiritum Sanctum inter Angelos adnumerabat; Angelum vero eum dicebat, aliis quidem coevum, sed majorem; quod et plerisque Arianorum non displicuit. Contra hos, aliosque, si qui sunt, stant Catholici omnes.

PROPOSITIO.

Spiritus Sanctus est verus Deus; nempe Persona Patri et Filio consubstantialis.

§. 377. Prob. ex Scripturis Veteris Testamenti. David Propheta (Lib. II. Reg. Cap. XXII. v. 2.) testatur, dicens: *Spiritus Domini locutus est per me.* Quis autem est iste Spiritus Domini? Deus ipse; subjungit namque: *Dixit Deus Israel mihi; locutus est fortis Israel dominator hominum.* Idipsum patet ex Isaia; qui testatur se audivisse vocem Domini dicentis (Cap.

VI. v. 9.): *Vade et dices populo huic: audite audientes, et nolite intelligere, etc.*; quis namque fuit Dominus iste? Spiritus Sanctus. Unde Paulus Judæis renuentibus consentire veritati, dixit (Actor. Cap. XXVIII. v. 25.): *Bene Spiritus Sanctus loquutus est per Isaiam . . . Vade ad populum istum, et dic ad eos: aure audietis, et non intelligetis, etc.* Quid clarius? Ergo etc.

§. 378. Prob. II. ex Scripturis Novi Testamenti; atque omissis illis omnibus testimoniis supra (§. 344. et seq.) relatis, audiamus Apostolorum Principes. Et Petrus quidem Ananiam alloquens (Act: Cap. V. v. 3.), sic inquit: *Anania cur tentavit Satanas cor tuum, mentiri te Spiritui Sancto, et fraudare de pretio agri? . . . non es mentitus hominibus, sed Deo.* Paulus vero ad Corinthios scribens (Epist. I. Cap. XII. v. 6. 11.), ait: *Divisiones operationum sunt, idem vero Deus, qui operatur omnia in omnibus . . . . Haec autem omnia operatur unus, atque idem Spiritus*; nempe Spiritus Sanctus; Ergo etc. Ulterius ad Romanos scribens (Cap: XV.): inquit: *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum qui datus est nobis*; et Rectores Ecclesiæ Melitensis alloquens dixit (Auctor; XX.): *Attendite vobis, et universo gregi, in quo vos Spiritus Sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei.* Ergo etc.

Hæreticorum argumenta solvuntur.

§. 379. *Objic.* I. Si Spiritus Sanctus esset Deus, Persona nempe Patri, et Filio consubstantialis, cognosceret utique alias duas Personas, Patrem scilicet et Filium; Atqui non cognoscit, dicente Christo (Matthaei Cap. XI. v. 27.): *Nemo novit filium nisi Pater, neque Patrem quis novit, nisi Filius*; Ergo etc.

§. 380. R. admit. auct., n. min. cum consa. Cum Christus Dominus laudato in loco de se, et Patre tantum verba faceret, Spiritum Sanctum non expressit; non vero negavit, eum esse personam Patri, et sibi consubstantialem. Apud Joannem enim (Cap. XV. v. 26.) jam dixerat discipulis: *Cum venerit Paraclitus, quem ego mittam vobis a Patre, Spiritum veritatis, qui a Patre procedit; ille testimonium perhibebit de me*; quibus sane verbis Christus fatetur, Spiritum Sanctum esse Patri, et sibi consubstantialem; quippe a Patre, et ipso procedit, et ipse eum mittit a Patre, atque insuper, eum ipsum noscere; quippe de ipso testimonium perhibere debebat. Hinc Paulus (Epist. I. ad Corinth. Cap. II. v. 11.): *Quæ Dei sunt*, ait, *nemo novit, nisi spiritus Dei.*

§. 381. *Contra.* Atqui dato etiam quod Spiritus Sanctus noscat Filium, adhuc tamen Deus non est; Ergo n. r. Prob. min. subs. Ille Deus non est, quamvis sciat et noscat Deum, et quae Dei sunt, qui id quod scit, scrutando scit, et a Deo audit; Atqui talis est Spiritus Sanctus, *qui scrutatur profunda Dei* (Epist. I. ad Cor. Cap. II. v. 20.); Ergo etc.

§. 382. R. dist. maj. Si scrutari proprie sumatur pro inquirere, et pervestigare quae ignota sunt, atque occulta, conc., si accipiatur tropice, hoc est pro perfecte nosse; n. maj., n. consm. Scrutari Spiritus Sancti hoc loco significat perfecte nosse; juxta illud (Epist. I. ad Corinth. Cap. II. v. 11.): *quæ Dei sunt nemo novit, nisi spiritus Dei.* Quemadmodum et de Deo dicitur (I. Paralip. Cap. XXVIII. v. 9.): *Omnia corda scrutatur Dominus*, et (Psal. 7. v. 10.): *scrutans corda, et renes Deus*; non vero significat Spiritui Sancto inquistione opus esse, ut quae Dei sunt sciat.

§. 383. *Contra.* Atqui Spiritus Sanctus omnia scrutari dicitur, non quod omnia naturaliter com-

prehendat, sed quod inquisitionem et investigationem adhibeat, ut occulta cognoscat; ergo n. r. Prob. subs. Ille minime comprehendit naturaliter omnia, sed per inquisitionem et investigationem occulta cognoscit, qui ab alio instruitur, sed Spiritus Sanctus ab alio instruitur, ergo etc. Prob. min. Spiritus Sanctus a semetipso non loquitur; sed loquitur quæ audit ab alio, nempe Deo, juxta Domini sententiam apud Sanctum Joannem (Cap. 16. v. 13.); Ergo etc.

§. 384. R. dist. antec. Spiritus Sanctus loquitur etc; quatenus scientiam sicuti et essentiam, habeat per æternam processionem a Deo, conc.; tamquam legatus a Deo missus, ab eoque edoctus, quod loqui debeat, n. antec; et consm. Existimandum non est, nihil Spiritum Sanctum a semetipso proprioque nomine loqui, nisi a Patre et Filio instructum, veluti utriusque legatum. Non minus enim, quam Pater et Filius; ipse quoque suo nomine loquitur, praecipitque, tamquam supremus rerum omnium Dominus, unde in Actis Apostolicis (cap. 13.) legimus; *Dixit Spiritus Sanctus; segregate mihi Saulum et Barnabam in opus, ad quod assumpsi eos.* Ubi ut perspicuum est eadem auctoritate loquutus refertur Spiritus Sanctus, qua Pater et Filius, alibi loquuti referuntur. Dictum est autem (Joan. 16.) Spiritum Sanctum a seipso non loqui, sed loqui quæ audit a Patre et Filio, quoniam scientiam suam, quæ ipsa est ejus essentia, non a semetipso habet, sed a Patre et Filio, a quibus per æternam processionem habet essentiam; Audiatur S. Augustiuus (Tract. 99. in Joan.): « Non loquetur a semetipso, sed quaecumque audiet » loquetur. Ab illo audiet, a quo procedit. Audire » illi scire est: Scire vero esse. Quia ergo non est » a semetipso, sed ab illo, a quo procedit, a quo » illi est essentia, ab illo scientia, ab illo igitur » audientia, quod nihil est aliud, quam scientia ».

§. 385. *Obj'c.* II. Spiritus S. est factus, et qui-

dem a Verbo; Ergo non est Deus, sed creatura. Prob. antec. *Omnia per ipsum*, nempe *per Verbum*, facta sunt, ait S. Joannes (Cap. I. v. 3.). Ergo et Spiritus Sanctus; Adeoque non est Deus etc.

§. 386. R. admitt. auct. dist. antec. Omnia, ad exclusionem Patris, et Spiritus Sancti, conc., sine ulla limitatione; n. ans., et cons. Quae facta sunt, utique per Verbum facta sunt. Ad exclusionem tamen Patris, et Spiritus Sancti, qui non sunt Personæ factae, sed coaeternae sibi sunt, et coaequales. Unde merito Joannes se explicans, postquam dixit: *omnia per ipsum facta sunt*, subjungit, *et sine ipso factum est, nihil quod factum est.*

§. 387. *Contra.* Atqui Spiritus Sanctus, ex iis rebus est, quae factæ sunt per Filium; ergo n. r. Prob. subs. Spiritus Sanctus inferior est Filio; ergo etc. Prob. antec. Spiritus Sanctus mittitur a Filio; *Paraclitus, quem ego mittam vobis a Patre*, ait Filius ipse apud Joannem (Cap. 15. v. 26.); ergo etc.

§. 388. R. admit, auctor. dist. antec; mittitur cum dependentia, n., sine ulla dependentia, conc. antec., et n. consm. Missio Spiritus Sancti a Filio non est nisi ejusdem a Filio processio; quae non solum nullam arguit missi a mittente dependentiam, cum nullam habeat admixtam imperfectionem, sed imo etiam omnimodam ostendit inter utrumque æqualitatem, cum nequeat Spiritus Sanctus a Filio procedere, nisi de una eademque Filii substantia existat. Quod adeo verum est, ut Filius quoque a Patre mittatur, cui consubstantialis est.

§. 389. *Contra.* Atqui Spiritus Sanctus a Filio mittitur cum dependentia ab eo; ergo n. r. Prob. subs. Spiritus Sanctus dependet a Filio; ergo etc; Prob. antec. Spiritus Sanctus igni comparatur (Matth; cap. 3. v. 11.): *Ipse vos Baptizabit in Spiritu Sancto, et igne*; sed ignis, proculdubio dependet a Filio, ut creatura a Creatore; ergo et Spiritus Sanctus.

§. 390. R. admiss. auctor n. maj. Dum namque praedicit Joannes Baptista apud Matthaeum, Christi Baptisma futurum in Spiritu Sancto et igne, non ibi igni comparat Spiritum Sanctum, quasi ejusdem ille sit naturae et conditionis ac ignis; sed Spiritui Sancto adiunxit ignem, quia super primos Fideles, dum baptismate abluebantur; in visibili forma ignis solebat descendere Spiritus Sanctus, sicut in die Pentechostes super Apostolus apparuit. (1).

§. 391. *Dices*. Spiritus Sanctus, ex Apostolo ad Romanos (Cap. VIII v. 26.), *postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus;* sed alium orare, et postulando gemere indignum est Deo, qui se majorem non habet, et ipsa laetitia est, atque beatitudo; Ergo Spiritus Sanctus non est Deus.

§. 392. R. Dist. maj. Spiritus Sanctus etc.; hoc est operatur in nobis orare, et gemere, conc.; revera ipse postulat, et gemit, nego maj., et dist. min.; sed alium etc. proprie, conc., secus, n. min. et consm. Spiritus Sanctus non ideo dicitur ab Apostolo plorare, et postulare quia revera id per se facit; sed quia per gratiam, quam in cordibus nostris infundit, nos adjuvat ut peccata nostra defleamus, et quod bonum est a Deo petamus. Hinc S. Augustinus (Epist. 121.). « Interpellat, inqutt, pro Sanctis, quia » interpellare Sanctos facit ».

---

(1) Vid. alia non pauca apud Auctores citatos *Boucat* praesertim Tomo II. Dissert. IV. Art. I. II. L' Herminier Tomo II. de Spiritus Sancti Persona.

CAPUT V.

De divinis Relationibus.

§. 393. *Def. Relatio nihil est aliud quam respectus, seu ordo unius ad alterum.*

§. 394. *Schol.* 1. Duplicis generis sunt in Deo relationes, aliae dicuntur ad *extra*, aliae ad *intra*. Primae sunt illae, quibus ad creaturas refertur, uti sunt relationes Creatoris, Gubernatoris, Redemptoris, Domini etc., et de his modo non loquimur. Secundae sunt illae, quibus Divinae Personæ ad invicem mutuo referuntur. Atque hae rursus aliae dicuntur *originis*, et *propriae* singulis Divinis Personis, uti sunt Paternitas, Filiatio, Spiratio activa, et passiva; aliae vocantur *Communes*, quae nempe in singulis Personis reperiuntur, et super unitatem, quantitatem metaphysicam, et qualitatem divinam fundantur, suntque *identitas*, *similitudo*, *æqualitas*.

§. 395. *Schol*: 2. Porro esse in Deo reelationes hujusmodi, omnes Theologi fatentur; quod ab aliquibus in quaestionem vocatur, est; num tales in Deo relationes sint reales, nec ne? Praepositivo, Gregorio Ariminensi, Gulielmo Parisiensi, aliisque; paucis exceptis, caeteri omnes cum Praeceptore Subtili (Quodlibet IV.) eas reales esse sustinent. Cum quibus et nos.

PROPOSITIO.

Dantur in Deo verae, ac reales originis Relationes.

§. 396. Prob. In Deo sunt tres verae, ac subsistentes Personae; Pater nempe, Filius, et Spiritus Sanctus; quae quidem sunt ab invicem realiter distinctaę; Nam (Ex Symb. S. Athanasii): *alia est Persona Patris, alia Filii, alia Spiritus Sancti*, realiter distinctae inquam, non natura; nam *Patris, et Filii, et Spiritus Santi una est divinitas, æqualio gloria; coeterna majestas*, sed relationibus; Atqui id per quod unus ab altero realiter distinguitur est reale; Ergo, si propter relationes, Personae divinae ab invicem distinguntur, relationes sunt reales; Adeoque dantur etc.

§. 397. Idipsum patet ex Conciliis, praecipue Toletano II. (Cap. I.), et Florentino (Sess. XVIII.); in illo enim dicitur: *In relativis Personarum nominibus Pater ad Filium, et Filius ad Patrem, et Spiritus. Sanctus ad utrosque refertur.* Quae cum relative tres Personae dicantur, una tamen natura per substantiam creditur. In isto autem ita ex communi tam Graecorum, quam Latinorum Patrum sententia loquitur Joannes Theologus: *Sola relatio apud omnes Graecos, et Latinos Doctores, divina processione Personas multiplicat; ita ut non alia ratione, quam vi relationis, una Persona ab alia differat.* Ex quibus hæc duo, veluti sua sponte fluunt.

§. 398. *Coroll.* 1. Personas Divinas non constitui per aliquid absolutum, scilicet per essentiam Divinam, per quam sunt unum, et idem inter se; sed per relationes; Pater nempe per Paternitatem, Filius per Filiationem, et Spiritus Sanctus per spira-

tionem passivam. 2. Oppositionem relativam caussam, esse distinctionis realis inter Personas divinas (1).

CAPUT VI.

De missione, ac processione Divinarum Personarum.

§. 399. *Def: Missio hic nihil est* aliud, quam *Processio alicujus Personae divinae a Persona mittente, ad creaturam, in qua incipit esse novo modo.*

§. 400. *Coroll:* Missio itaque supponit I. processionem Personae missae a mittente. Hinc solus Pater aeternus mitti nequit, quippe a nulla alia Persona procedit, « Solus Pater, ait S. Augustinus (Lib. » contra Arianos Cap. IV.), legitur non missus, » quia solus non habet Auctorem, de quo sit geni- » tus, vel a quo procedat ». II. Necessario importat manifestationem Personae missae per productionem alicujus doni creati invisibilis, puta gratiæ sanctificantis, aut visibilis.

§. 401. *Schol:* Hinc duplex est missio ex parte effectus, *visibilis* nempe, atque *invisibilis*; haec est

---

(1) Sit ne vero oppositio relativa sola caussa hujusmodi, lis est inter Doctores. Negant Doctor subtilis, Ochamus, Gabriel, Henricus, aliique non pauci; unde et sustinent, *quod si per impossibile Spiritus Sanctus a Filio non procederet, adhuc tamen a Filio realiter distingueretur.* Adfirmant e contra Thomistae, et alii permulti. Quid sentiendum sit, resolvat Lector postquam aequa lance Auctorum argumenta perpenderit; Unde et pro Scotistis legat *Boyvin* Tomo I. de Trinit. Cap. VII. q. I. *Frassen* Tomo III. Tract. III. Disp. III. Art. III. q. II. Pro Thomistis vero *Tournely* Tomo II. de Trinit. q. V. Art. III. pag. 284.

illa, qua Filius, et Spiritus Sanctus peculiari modo ad habitandam creaturam rationalem, per gratiam sanctificantem mittuntur; illa vero ea est, qua Filius, et Spiritus Sanctus, aliquo visibili signo, in creatura manifestantur. Atque haec insuper alia est *substantialis*, qualis est sola Verbi Divini Incarnatio; alia *apparens*, uti illa Spiritus Sancti in specie Columbae, in linguis igneis, in sono, in nube lucida, etc.

§. 402. *Def.* 2. *Processio* generatim sumpta, *est productio, seu origo unius ab alio*. In Divinis autem *Processio nihil est aliud, quam origo, emanatio, emissio*, vel *productio unius Personae ab alia*. Strictius, et magis ad rem: *Processio in Divinis significat veram, et realem emanationem unius Personae ab alia, quae non exeat extra Deum in creaturas; sed maneat intra entitatem divinae substantiae, et velut in sinu personae producentis aeternum subsistat*, de qua illud Joannis (Cap. I. v. 18.): *Unigenitus qui est in sinu Patris* (1).

§. 403. *Schol:* Porro dari in Divinis missionem proprie dictam (§. 399.), atque veram, et realem processionem ad intra (§. 402.), secundum quam una persona procedit, et ab alia producitur, est dogma Catholicum ab omnibus Romanae Ecclesiae Theologis propugnatum; non ita tamen Haereticis probatum. Omnes namque illi, qui aut Personarum Trinitatem in Deo negant (§. 343.), aut earum consubstantialitatem ad invicem (§. 359. 376.); missionem quoque Personarum, atque processionem inficiati sunt, in sensu supra exposito. Qui autem expresse Spiritus Sancti processionem a Filio negarunt, Graeci fuerunt; Unde eos inter atque Latinos acris, et diuturna fuit di-

(1) Ita Claudius Frassen Tom. III. dip. I. art. 2. q. 1.

sputatio. Hujus erroris auctor, ex Bellarmino, aliisque, fuit Theodoretus, quem furenti audacia in eo propugnando, sequutus est Photius, circa finem IX saeculi. Atque hic ista adnotasse sufficiat (1).

PROPOSITIO I.

Datur vera missio in Divinis.

§. 404. Prob. ex Scripturis. Apud S. Joannem sic de seipso ait Christus (Joan. Cap. III. v. 17.): *Misit Deus Filium suum in Mundum etc.*: et alibi (Cap. VIII. v. 4.): *Solus non sum, sed ego et qui misit me, Pater.* Rursus (Cap. X. v. 16.): *Quem Pater sanctificavit, et misit in Mundum*; Et (Ibid. Cap. XVI. v. 28.): *Exivi a Patre et veni in Mundum.* Etenim « a Patre exire, et venire in Mundum, hoc est mitti » inquit S. Augustinus (Lib. II. de Trinit.). De Spiritu Santo autem ita apud eumdem loquitur (Cap. 16. v. 7.): *Cum assumptus fuero a vobis mittam eum ad vos.* (Cap. XV. v. 26.): *Cum venerit Paraclitus, quem ego mittam vobis a Patre.* Ergo etc.

§. 405. Dices. Qui mittitur videtur minor, et imperfectior illo, a quo mittitur; Igitur, etc.

§. 406. R. Hoc verum esse de missione, quae fit per imperium, consilium, aut per transmissionem de uno in alium locum; non vero de missione divina, quae fit per processionem originis cum habitudine ad extra; nempe ad creaturas. Apposite S. Augustinus (Lib. III. contra Maximum Cap. XIV.): « Quid » mirum, inquit, si mittitur, non quia inaequalis » est Patri; sed quia est emanatio quaedam clarita» tis Omnipotentis Dei sincera ».

(1) *Vide alia apud Tournely de Trinit. qu. VI. art. 3.*

PROPOSITIO II.

Dantur in Divinis veræ, et reales Processiones.

§. 407. Prob. ex Scriptura. Nam Christus Dominus de semetipso ita loquitur (Joann. VIII. v. 42.): *Ego ex Deo processi et veni: neque enim a meipso veni, sed est verus, qui misit me. Ego scio eum, quia ab ipso sum* (Ibid. Cap. VII. v. 29.). De Spiritu Sancto autem inquit (Ibid. Cap. XV. v. 26.): *Paraclitus, quem ego mittam vobis, Spiritum veritatis, qui a Patre procedit.* Ergo dantur etc.

§. 408. Dices 1. Laudati textus videntur loqui de processione vel missione *ad extra*, non vero *ad intra*; Ergo non dantur etc.

§. 409. Laudati textus innuunt tam processionem *ad intra*, quam *ad extra*. Nam quid significant verba illa: *Ex Deo processi, ab ipso sum, etc.* nisi missionem *ad intra*? Sed esto ex Origenis, Euthymii, et Theophylacti explicatione, temporaneam processionem, aut missionem significarent, nihil adhuc adversus nostram thesim facerent, quia processio, vel missio temporanea, et *ad extra*, supponit processionem aeternam, et *ad intra*. Nam ex communi Theologorum sententia, vera, et completa missio in divinis duo includit (Consul. Auctores citati.); nempe productionem, unius Personae ab alia (§. 400.); et 2. ut persona quae mittitur effectum aliquem supernaturalem sive invisibilem, sive visibilem producat.

§. 410. Dices 2. Processio in Divinis videtur omnino repugnare; Nam qui ab alio procedit, posterior utique est illo, a quo procedit; Ergo.

§. 411. R. quoniam in Divinis una Persona communicat alteri suam naturam non libere, sed ex necessitate suae perfectissimae naturae, et sine ulla dependentia; hinc est quod processio in Divinis non repugnet; Nam etsi alia sit Persona Patris, alia Filii

alia Spiritus Sancti; una est tamen, et eadem natura Divina in Patre, Filio, et Spiritu Sancto; Quare nulla Persona est alia major, aut minor, *sed totae tres Personæ coæternæ sibi sunt, et coæquales* (1).

PROPOSITIO III.

Spiritus Sanctus a Patre, Filioque procedit.

§. 412. Prob. I. ex Scripturis. Apud Joannem (Cap. XIV. v. 26.) inquit Christus: *Paraclitus au- Spiritus, quem mittet Pater in nomine meo*; Et (Ibid. Cap. XV. v. 26.): *Cum venerit Paraclitus, quem ego mittam vobis, Spiritum veritatis, qui a Patre procedit. Si non abjero* (Ibid. Cap. XVI. v. 26.), *Paraclitus non veniet ad vos; si autem abjero, mittam eum ad vos; ille me clarificabit* (Ibid. v. 14.), *quia de meo accipiet.* Apud Matthaeum vero ita loquitur idem Dominus ad Discipulos suos (Cap. X. v. 20.): *Non vos estis qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis*; his adde Apostoli ad Galatas (Cap. IV. v. 6.), temonium: *Misit Deus Spiritum Filii sui in corda vestra*; Unde hoc liceat efformare argumentum. Spiritus Sanctus a Patre, Filioque procedit si ab utroque mittitur, si utriusque est Spiritus, si a Filio aeque ac a Patre suum esse accipit, ac naturam; Atqui ex dictis, talis est Spiritus Sanctus; Ergo a Patre, Filioque procedit.

§. 413. Prob: 2. Ex Conciliis generalibus. Nam in Concilio Ephesino (Act: XIII.), Calcedonensi (Act: 170), Constantinopolitano II. (Coll: 6.) lecta fuit, et approbata Epistola S. Cyrilli Alexandrini, in qua sic dicebatur: *Spiritus non est a Filio alienus, quan-*

---

(1) Consul. Auctores citati.

doquidem Spiritus veritatis nominatur: Christus autem veritas est, et proinde quoque ab illo, atque a Deo Patri procedit. Ergo etc. Ulterius Synodus Lateranensis IV. (Cap: 1. de Fide) haec habet. *Pater de nullo; Filius autem a solo Patre, ac Spiritus Sanctus ab utroque pariter absque initio semper, ac fine.* Tandem in Lugdunensi II., et Florentina ita loquuntur Patres; *Definimus, ut hæc Fidei veritas ab omnibus Christianis credatur et suscipiatur . . . quod Spiritus Sanctus ex Patre, et Filio æternaliter est . . . et ex utroque æternaliter, tamquam ab uno principio . . . procedit.* Igitur etc.

§. 414. Prob. 3. Traditione. S. Athanasius in Symbolo haec habet, « Spiritus Sanctus a Patre, » et Filio: non factus, nec creatus, nec genitus, » sed procedens ». S. Epiphanius ita (In Ancoran. 2. 8.) scribit: « Spiritus enim Dei, ac Spiritus » Patris, et Filii Spiritus: non compositione aliqua, » quemadmodum in nobis anima corpusque conjun» gitur: sed inter Patrem et Filium medius, ex » Patre, Filioque procedens, et appellatione tertius ». S. Cyrillus Alexandrinus ita loquitur (In Epist. ad Nestorium.): « Etsi Spiritus in propria persona » subsistat, eatenusque in seipso consideretur, qua» tenus Spiritus est, et non Filius; non est tamen » ab eo alienus: quandoquidem Spiritus veritatis no» minatur, Christus autem Veritas est; et proinde » quoque ab illo, atque a Deo Patre procedit ». Nec dissimiliter se explicant Patres Latini. Prae aliis audiamus S. Ambrosium, et S. Augustinum, quorum primus scribit (Lib. I. de Spiritu Cap. XI.): « Spiritus quoque Sanctus cum procedit a Patre et » Filio, non separatur a Patre, nec separatur a Fi» lio, sed non est ipse Filius »: Secundus vero (Tract. de Symb. Apostolorum.). « Nec possumus » dicere, inquit, quod Spiritus Sanctus et a Filio » non procedat: neque enim frustra idem Spiritus

» et Patris, et Filii Spiritus dicitur ». Et alibi (Tract: 99. in Joann.); « Cur ergo, scribit, non » credamus, quod etiam de Filio procedat Spiritus » Sanctus, cum Filii quoque ipse sit Spiritus ». Ergo etc.

§. 415. Objic. 1. In Scripturis dicitur Spiritum Sanctum a solo Patre procedere, de ejusdem vero processione a Filio, altum silentium est; Ergo etc.

§. 416. R. dist. maj. In Scripturis nulla fit mentio expressis, et distinctis verbis de processione Spiritus S. a Filio, conc.; nulla penitus fit mentio, ne quidem verbis aequivalentibus, n. ans., et consm. Esto in Scripturis expresse dicatur de Spiritu Sancto quod a Patre procedat, non sic autem quod procedat etiam Filio; non ideo dicendum est, eum sicuti a Patre, ita et a Filio non procedere. Nota siquidem sunt verba aequivalentia, quae id demonstrant (§. 412.) in Scripturis.

§. 417. *Contra.* Atqui nec verbis quidem aequivalentibus constat ex Scripturis Spiritum Sanctum a Filio etiam procedere; Ergo n. r. Prob. subm: Si verba forent in Scripturis aequivalentia, maxime essent illa, quibus dicitur, Spiritum Sanctum, sicuti a Patre, ita et a Filio mitti; Atqui haec nihil probant. Ergo etc. Prob. min. Si laudata verba, Spiritus Sancti a Filio processionem ostenderent, ostenderent quoque Filii processionem a Spiritu Sancto; Nam apud S. Lucam ait Christus ipse, se a Spiritu Sancto missum evangelizare pauperibus; Atqui hoc est falsum; Ergo etc.

§. 418. R. dist. maj. Si laudata verba etc. Si missio Spiritus Sancti a Filio ejusdem esset naturae ac missio Filii a Spiritu Sancto, conc.: secus; n. maj., et contra dist. min., n. consm. Missio Spiritus Sancti a Filio non est eadem ac missio Filii a Spiritu Sancto; haec enim est incompleta (§. 400. 405.) nempe solum ratione assumptae humanitatis ab eo ad praedican-

dum Regnum Caelorum; aliaque salutis humanae opera adimplenda; et quae proinde aliis Personis communis est, ut dici possit, et dicatur, Christum a tota Divinitate missum, etiam a seipso, ut statuit Toletana Synodus dicens; *A seipso quoque missus accipitur, per quod inseparabilis non solum voluntas, sed operatio totius Trinitatis agnoscitur;* illa autem est *ad intra*, et vera origo, et emanatio Spiritus Sancti, sicuti a Patre, ita et a Filio; unde et Spiritus Sanctus vocatur *spiritus Patris, et spiritus Filii*, et dicitur accipere de eo quod habet Filius. Uno verbo; Missio Spiritus Sancti a Filio est vera, atque completa missio; Missio autem Filii a Spiritu Sancto est impropria, et incompleta (1).

§. 419. *Contra.* Atqui ex laudatis locis eruitur, Spiritum Sanctum eodem modo mitti a Filio, sicuti Filius missus dicitur a Spiritu Sancto; ergo n. r. Prob. subs. Praedicta Spiritus Sancti missio, non arguit processionem, quoad internam subsistentiam, sed dumtaxat externam missionem ad creaturas, per donorum largitionem; sicuti de facto evenit in die Pentecostes; ergo etc.

§. 420. R. n. antec cum consa. Quando in Sacris Scripturis Spiritus Sanctus dari aut mitti dicitur, non dona creata solum dantur, sed etiam cum ipsis vere datur atque mittitur Spiritus Sanctus. Sane ad Romanos (Cap. V. v. 20.) legitur; *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum qui datus est nobis*; ubi perpendendum, Apostolum aperte distinguere Spiritum Sanctum; et ejusdem dona, atque utrumque nobis dari adfirmat. Insuper prima ad Corinthios (Cap. VI. v. 19.): *Membra vestra* ait,

---

(1) Vide alia plura apud *Ex Charmes* Tom. II. Tract. de Trinit. q. VI. art. 3. Boivi. Tomo II. Dissert. V. art. 3.

Templum sunt Spiritus Sancti, qui in vobis est . . . . glorificate et portate Deum in corpore vestro. Iam vero dona Spiritus Sancti, Deus non sunt, neque his Templum debetur. Ulterius Joannes (Epist: I. cap: 4. v. 16.) inquit: *Qui manet, in caritate in Deo manet, et Deus in eo.* In nobis igitur non solum manet caritas quae Deus non est, sed Deus ipse manet. Cæterum, testimonium in argumento laudatum, nonnisi absurdissime de donis exponendum esse, ratio ipsa theologica suadet, quia dona neque veniunt, neque mittuntur. Ultra quamquod, si idcircò Spiritus Sanctus a Filio mitti dicitur, quia ille donorum est auctor; posset etiam dici, Patrem a Filio mitti, imo Patrem et Filium mitti a Spiritu Sancto, cum quælibet Persona donorum omnium sit auctor. Imo si mitti Spiritum Sanctum, esset mitti dona ipsius, etiam quando legimus, Filium a Patre in Mundo missum, qui huic fidem non præstant, respondere possent, non vere Filium, sed donum aliquod creatum fuisse missum, et sic Incarnationis Mysterium penitus evanesceret; quod cum sit absurdissimum, restat etc.

§. 421. *Objic*: II. Si daretur processio Spiritus Sancti a Filio, de ea mentio fieret in Conciliis generalibus Nicæno I. et Constantinopolitano I., in quibus Spiritus Sancti Divinitas definita fuit; atqui nulla mentio de tali processione fit in talibus Conciliis; Ergo falsa propositio.

§. 422. R. ad argumentum. Tamquam certissimum tenendum est, Ecclesiam in Conciliis, suas circa Fidem definitiones, seu decreta, non condere, nisi occasione subnascentium errorum. Cum igitur ætate Conciliorum Nicæni I. et Constantinopolitani I. a nemine impugnaretur Spiritus Sancti a Filio processio, de illa siluere illorum Conciliorum Patres. Cum vero Eunomiani, et Macedoniani negarent Spiritum Sanctum Deum esse, eumque a Patre procedere, Con-

cilium Constantinopolitanum I. distincte, ac expresse definivit, Spiritum Sanctum verum Deum esse, atque a Deo Patre procedere, accomodate scilicet ad errorem quem damnandum habebant, et urgentem tunc temporis Ecclesiæ necessitatem. Ex silentio itaque prædictorum Conciliorum nihil contra nostram thesim eruitur.

§. 423. *Contra*. Atqui ex silentio prædictorum Conciliorum optime colligi potest, Spiritum Sanctum a Filio non producere; ergo n: r: Prob: subs: Si Spiritus Sanctus vere a Filio procederet, prædictorum Conciliorum Patres id in Symbolis et Decretis Fidei apposuissent; sed hoc non fecerunt; ergo etc.

§. 424. R. n: maj: Ideo predictorum Conciliorum Patres nihil de Spiritu Sancti processione in Symbolis apposuerunt, quia nullus, eo tempore huic Mysterio opponebatur. Sane in Nicæna Synodo tota lis erat adversus Arianos; cumque illi, ex instituto, solum Filii oppugnarent Divinitatem, satis profecto fuit Patribus, in novo Symbolo, Filii divinitatem explicatius quam in Apostolico Symbolo confirmare. Rursus in Concilio Constantinopolitano I. sola dumtaxat Spiritus Sancti Divinitas, ejusdemque a Deo Padre processio solum, expresse utrique Simbolo addita est, quia praedicta Synodus, Macedonianorum haeresi damnandæ unice studebat. Cumque ii Spiritum Sanctum a solo Filio, atque instar creaturæ procedere fabularentur, nihil aliud hujusce Synodi Patres agere existimarunt, quam Spiritus Sancti Divinitatem, ejusque a Patre processionem in tuto ponere, paucis verbis ad Fidem Nicæni Symboli additis; *Qui ex Patre procedit*: *Qui cum Patre simul etc*: At quoniam sequentibus inde id temporibus novus error in Ecclesia suboriri cœperit, qui Spiritum Sanctum a Filio procedere negabat, Ecclesia eadem auctoritate, qua semper pollet, particulam *Filioque*, præcedenti Simbolo addendam judicavit.

§. 425. *Contra*. Atqui id fieri omnino non poterat; Ergo a cap: argum; Prob: subs: Ephesini Concilii decreto interdictum, vetitumque erat, ne quid veteri Symbolo adderetur, idque sub pœna depositionis adversus Clericos, anathematis vero in laicos, qui hoc nefas admitterent; ergo etc.

§. 426. R. ad argum. Concilium. Ephesinum privatos dumtaxat decreto suo obstinxit, non vero Concilia, non supremum totius Ecclesiæ Caput, quibus nihil præscribere potuit. Juris enim adcurata regula est, par in æqualem auctoritatem non habet. Responsum hoc nostrum non tantum ratio adjuvat, sed etiam praxis et usus veterum Conciliorum, quorum suprema apud Græcos auctoritas est. Ratio inquam. Quorsum enim novam Fidei Formulam edere, aut aliquod antiquo Symbolo additamentum inserere vetuit Ephesina Synodus? profecto, ne quis specioso prætestu exponendi Symboli Nicæni, habitam Fidem adulteraret, suosque errores simplicibus propinaret, ut Arianis, et Semiarianis erat familiare. At nihil quidquam de sacris Conciliis rite celebratis pertimescendum erat, cum nihil adversus Catholicam Fidem ab iis attendere notissimum sit. Non ergo Ephesina Synodus sequentium Conciliorum Romanorumque Pontificum arctavit auctoritatem.

PROPOSITIO IV.

Jure Catholica Ecclesia addidit Symbolo Nicæno particulam Filioque.

§. 427. Prob. Nam Ecclesia Catholica jus habet novam particulam Symbolo addere quoties judicat necessarium ad Fidem clarius explicandam adversus novas insurgentes haereses, ut sic fideles ab errore præserventur immunes; Unde haeresi Ariana exorta, ad eam comprimendam Nicaena Synodus ad Symbolum

Apostolorum adjunxit vocem *consubstantialis*; et ad Macedonianos penitus debellandos, in Concilio Constantinopolitano I., Symbolo Nicæno additæ sunt illae voces: *Qui ex Patre procedit*; Ergo ut Græcos Schismaticos refutaret circa processionem Spiritus Sancti a Filio, atque omnem in posterum errandi tolleret occasionem, eodem Simbolo Nicæno Constantinopolitano addidit, veluti quamdam expositionem et explicationem, vocem illam *Filioque*, Jure etc. Unde merito Patres Florentinae Synodi hanc Fidei definitionem subscribendam, tam Græcis, quam Latinis, ediderunt: *Definimus, quod Spiritus Sanctus ex Patre et Filio æternaliter est, et essentiam suam, suumque esse subsistens habet ex Patre simul et Filio, et ex utroque æternaliter tamquam ab uno principio et unica spiratione procedit . . . Definimus insuper explicationem verborum illorum, Filioque, veritatis declarandæ gratia, et imminente tunc necessitate, licite, ac rationabiliter Symbolo fuisse appositam.*

§. 428. *Objic.* In Concilio Ephesino Generali III. severe prohibitum fuit, ne aliquid unquam Fidei Symbolo adderetur; Ergo immerito Ecclesia etc.

§. 429. In eo Concilio vetitum fuit ne adderetur aliquid novum a recepta tunc PP. Fide alienum, vel Fidei contrarium, non vero ne adderetur aliquid ad Fidem melius, clariusque explicandam. Cum ergo particula *filioque* Symbolo Nicæno addita, non sit a Fide SS. Patrum aliena, sed explicatio Fidei, Fidelibus utilis, ut ab erroribus præserventur; idcirco non fuit Synodi Nicænæ prohibita additio.

§. 430. *Contra* Atqui fuit prohibita; Ergo n. 1. Prob. Sub. Si non fuisset prohibita Summus Pontifex Leo III. non eam improbasset a Patribus Concilii Aquisgranensis Concilio Nicaeno additam; Atqui eam improbavit; Ergo etc.

§. 431. R. Cum tempore Leonis III. nondum esset ortum schisma Græcorum; merito ille non ad-

probavit additionem *Filioque* a Patribus Aquisgranensibus Symbolo Nicaeno factam. Ubi enim nulla necessitas est urgens, licitum non est aliquid addere Symbolo, alias in immensum Symbolum succresceret. Quoniam vero sequentibus temporibus, occasione Schismatis Græcorum, alii Summi Pontifices necessariam existimarunt additionem illam, jure meritoque eam fecerunt

§. 432. *Contra*. Atqui Pontifex Leo absolute improbavit illam additionem factam Symbolo Nicæno; Ergo n. r. Prob: subsm. Laudatus Pontifex rogatus a Legatis Caroli Magni, ut dignaretur concedere cantum Symboli cum particula *Filioque*; non solum restitit, sed iratus vehementer, in hæc verba prorupit: *Si priusquam ita cantaretur interrogatus essem, ne insereretur utique respondissem*; Ergo etc.

§. 433. R. dist: antec. Laudatus Pontifex etc. Quia falsa illa erat, et erronea, nego; secus, conc: antec. Ergo etc:, n. consm. Numquam mens fuit Leoni improbare additionem illam *Filioque* factam Nicæno Symbolo, quasi falsum esset, Spiritum Sanctum vere a Filio etiam procedere, sicuti a Patre procedit; nam cum illius negationi respondentes prædicti in argumento Legati, ipsumque interrogassent, utrum secum ipsis Spiritus Sancti Processionem a Filio admitteret, subjunxit eis: *Ita sentio, ita teneo cum his auctoribus, et Scripturæ Sacræ auctoritatibus.* Quod si contrarium tali additioni se ostendit, id hoc fine fecit, ut retineretur memoria Symboli Constantinopolitani sicuti a Patribus Nicaenis editum fuerat. (1).

Quæres. *Quomodo vocetur Processio Filii, quomodo illa Spiritus Sancti?*

§. 434. R. Processio Filii vocatur *generatio*;

---

(1) Consulantur Auctores supra citati §. 418. C. 1.

unde Filius ab æterno Patre genitus: ejusque *unigenitus*, *primogenitus*, *et imago* dicitur. Processio vero Spiritus Sancti dicitur simpliciter *processio*, vel *spiratio*.

Quæres. *Cur Processio Filii vocetur generatio, non vero generatio dicatur Processio Spiritus S.*

§. 435. R. 1. Adeo difficilis hæc quæstio ipsis Ecclesiæ Patribus visa fuit, ut S. Augustinus (Lib. III. contra Maximum Cap. XIV.) dicere non dubitarit, se eam solvere non posse. Ita enim inquit; « » De Patre est Filius; de Patre est Spiritus Sanctus, sed ille genitus, iste procedens: ideo ille est » Filius Patris, de quo est genitus, iste autem est » Spiritus utriusque, quoniam de utroque procedit; » quid autem inter nasci et procedere intersit, ex» plicare quis potest? distinguere inter illam gene» rationem, et processionem non valeo, non suffi» cio ». Et alibi (Tract. 99. in Joann.): « Quid » intersit inter procedere et nasci, et longum est » quærendo disserere, et temerarium, cum disserue» ris definire ». Theologi nihilominus, aliquas rationes inquirere, atque adsignare conati sunt ad eam solvendam: Unde.

§. 436. R. 2. Ideo Filii Processio vocatur generatio, non vero Processio Spiritus Sancti, quia Filius procedit per intellectum, et producitur naturaliter; Spiritus vero Sanctus procedit per voluntatem, et voluntarie, non naturaliter producitur. Hinc S. Augustinus explicans, cur non sit Filius etiam Spiritus Sanctus, cum et ipse a Patre exeat, inquit (1): « Exit enim non quomodo natus, sed quomodo da» tus, et ideo non dicitur Filius »: Et S. Bonaventura. « Si voluntas, inquit (2), est principium

(1) Lib. V. de Trinit. Cap. IV. et XIV.
(2) In 1. Sent. Dist. VI. q. 2.

» cum communicante natura, sic est Processio Spiri-
» tus Sancti, qui procedit per modum amoris, tamen
» similis in natura: Si vero natura est principium
» cum communicante voluntate, sic est generatio Fi-
» lii, qui producitur, ut omnino similis, et per mo-
» dum naturæ ». Ita sentit quoque Doctor Subtilis (1).

Quæres. *Quodnam sit principium Divinarum Processionum?*

§. 437. R. 1. Principium, quod ad rem attinet praesentem duplex, est, nempe *principium quod*, et *principium quo*; *Principium quod* est ipsa persona, ipsumque suppositum agens, seu producens; *principium quo* est forma, seu virtus, qua mediante, persona suam elicit actionem. Atque hoc insuper duplex est, *radicale* nempe, vel *remotum*, et *formale*, seu *proximum*. Primum est illud, per quod persona *mediate* tantum operatur; secundum vero est illud, per quod persona *immediate* agit.

§. 438. R. 2. Principium *quod* Divinarum Processionum est Persona, quae aliam producit: hinc Pater est principium *quod* generationis Filii, uterque autem unum principium *quod* Processionis Spiritus Sancti. Principium vero *quo* remotum, est Divina essentia; in ea enim virtus Divinarum Processionum remota continetur. Principium *quo* proximum tandem, *intellectus*, et *voluntas* Divina; Nam ideo Filius vocatur Verbum, quoniam procedit immediate per intellectum; et Spiritus Sanctus vocatur Amor, quia a voluntate procedit; Amor enim est fœtus voluntatis, non naturæ; Ergo intellectus et voluntas sunt principium *quo* proximum, et immediatum Divinarum Processionum.

(1) Vide Frassen Tomo III. disput. I. art. 2. q. 4. concl. 3.

Quæres. *Quid sit Divinarum Personarum Circumincessio?*

§. 439. R. Circumincessio est Divinarum Personarum intima in se mutuo inhabitatio atque inexistentia, qua fit ut Pater sit in Filio, Filius in Patre, et Spiritus Sanctus in utroque inseparabiliter.

Quæres. *An admitti debeat Divinarum Personarum sic exposita Circumincessio?*

§. 440. R. Affirm.: Nam ait Christus Dominus (Joann. Cap. XIV. v. 11.): *Non creditis quia ego in Patre, et Pater in me est?* Unde docent Patres cum S. Fulgentio (Lib. de fide ad Petrum Cap. I.). « Totus est Pater in Filio et Spiritu Sancto, totus » Filius in Patre et Spiritu Sancto, et totus Spiritus » Sanctus in Patre et Filio ». Et recte quidem; etenim Personæ Divinae habent eamdem numero naturam indivisibilem; ergo in se invicem inexistunt.

Dices 1. Christus Filius Dei exit a Patre, ut ipse testatur dicens (Joann. Cap. XII. v. 28.): *Exivi a Patre*; Ergo non est in eo; Adeoque etc.

§. 441. R. Exire Filium a Patre nihil aliud significat, quam vel generari a Patre vel milli a Patre in Mundum; sequitur enim: *et veni in Mundum*; sive autem Filius a Patre generatur, sive in Mundum mittitur, semper est in eo; ut ipse testatur dicens (Joann. Cap. XIV.): *Pater in me manens, etc.*

Dices 2. Si Filius esset in Patre, et Pater in Filio, Pater dici posset Filius, et vicissim Filius Pater; Atqui hoc est absurdum; Ergo etc.

§. 442. R. n. maj.: Nam Paternitas est in Filio tantum ratione Divinae essentiae, et naturae, quae una et eadem est in tribus Personis, non autem per modum proprietatis personalis, cujus est constituere personam. Unde nequit Filius vocari Pater (1).

---

(1) Quæ in hoc Tractatu collegimus satis obvia sunt penes Auctores Theologos; et fuse ab iis præser-

CAPUT VII.

De necessitate Fidei SS. Trinitatis.

§. 443. *Animad*: Ut quae in hoc capite explicaturi erimus facilius percipiantur, et menti tenacius haereant, nonnulla præmittenda sunt, quae ad cognitionem hujus materiae necessario hic requiruntur. Age jam.

§. 444. *Def.* 1. *Fides divina*, *et theologica*, de qua hic modo sermo habetur, *est firma adhæsio mentis iis*, *quæ a Deo revelata sunt*, *propter solum Dei revelantis verissimum testimonium*. Quare ab Apostolo (Haebr: II. v. 1.) dicta est: *Argumentum*, seu convictio de rebus minime apparentibus: « Quia » scilicet, ut explicat S. Thomas (21. 2. q. 4. art. » 1.) per auctoritatem Divinam, intellectus credentis » convincitur ad assentiendum his, quæ non videt. » Atque duplex est *habitualis*, et *actualis*.

§. 445. *Def.* 2. *Fides habitualis est habitus supernaturalis*, *quo mens flectitur ad assensum praestandum*. Hæc Fides permanet in fidelibus, etiam dormientibus. *Fides* vero *actualis est ipse actus*, ***quo mens***, ***Cœlestis gratiæ auxilio roborata***, ***assentitur revelatis***. **Hæc non permanet in fidelibus dormientibus, sed extinguitur et reviviscit ut actus. Insuper Fides alia est *explicita***, alia ***implicita***, alia ***necessitate medii***, et alia *precepti*.

§. 446. *Def.* 3. *Fides explicita est dogmatis alicujus Fides*, *quod in se distincte et in particulari*

---

tim, quos accurate citavimus pertractantur. Si quis vero plura desiderat, consulat Dionysium Petavium Tomo II. Operis Theologicorum Dogmatum. Franciscum Suarez I. Parte Summae Theolog. Tract. III., aliosque.

creditur. Implicita autem *fides si dogma creditur in principio universali, in quo continetur.* Ita Fides Trinitatis, quam Christiani habemus, explicita Fides est. Aperte quippe confitemur tres in *Divinitate* Personas. At ejus Mysterii Fides erat vulgo Judæorum implicita tantum; tum quod unum verum Deum colebant, qui esse non potest nisi in Personis Trinus. Tum quod assentiebantur iis omnibus universim, quæ credebantur a Patriarchis, et Prophetis, quibus utique Trinitatis Mysterium notum erat.

§. 447. *Def: 4. Fides necessaria necessitate medii ad salutem ea est Fides, quæ est unica via ad salutem*; quæque propterea si desit, etiam per insuperabilem ignorantiam, nulla salutis spes affulgere potest. Dicitur vero *necessaria necessitate præcepti ea Fides, cujus necessitas ad salutem oritur ex præcepto.* Quare licet ubi præceptum violetur, nullus pateat ad vitam æternam aditus, qui omni homini libere mandata Dei trangredienti, ac proinde peccandi statim præcluditur; si tamen imculpabilis ignorantia a peccato excuset, potest quis etiam sine illa Fide ad salutem pervenire.

§. 448. Quod ergo in præsenti Capite ad trutinam revocatur est: Sit ne Fides actualis, eaque explicita SS. Trinitatis, neccessaria necessitate medii ad salutem in hoc statu, in quo sumus, Evangelii nempe per Orbem diffusi? Circa quod adest

Dissidium inter Auctores.

§. 449. Nam Sociniani ut Trinitatem respuunt, ita ejus Dogma nedum ignorari, sed et libere negari posse, sine salutis dispendio docent; neque eos quibus tale mysterium aperte, publiceque impugnare placeat ab Ecclesiæ Communione arcendos. Hanc sententiam Simon quoque Episcopius (Lib. IV. Inst: Theol:) amplexus est, et cum eo ceteri Remonstratenses,

qui putant, omnes homines, cujuscumque Sectæ, modo unum Deum colant, serventque Legis præcepta, omnium omnino Ecclesiarum communionem frui debere. Catholici vero Theologi, licet consentiunt, eos qui Trinitatem negent, Christianis adnumerandos non esse, atque omni salutis spe privari, non æque tamen admittunt omnes absolutam necessitatem Fidei illius Mysterii ad salutem. Censent quippe non pauci, sine distincta, explicataque ejus Fide, etiam nunc temporis post plenam Evangelii promulgationem, obvenire posse homini justificationem et salutem; sic prae ceteris contendit Suarez (Comm: in Sum. Theol. S. Thomae); ne quid dicam de Andrea Vega, qui (Lib: VI. in Conc: Trid. Cap. 20.), etiam sine ulla omnino Fide neque explicita, neque implicita, neque Christi, neque Trinitatis, neque etiam Dei, posse hominem aliquando solius rationis ductu, salutem consequi, opinatur. Quid sententiendum, sequens declarabit,

PROPOSITIO.

In Nova Lege post completam per Apostolos in omnem Terram Evangelii prædicationem, nullus absque Fide explicita SS. Trinitas salvari potest.

§. 450. Prob. 1. ex Scripturis. Christus Dominus apud Joannem (cap: 17. v. 3.), viam salutis constituit in cognitione veri Dei; ait enim: *Hæc est vita æterna, ut cognoscant te, solum Deum verum;* jam vero cognitio Fides explicita est; nam qui implicite credit, id quod ita credit, haudquaquam cognoscit: verus autem Deus Trinitas est: ita ut qui Trinitatem non agnoscit, Deum verum agnoscere nullo pacto dici possit; ergo via salutis posita est in Fide explicita Trinitatis. Deinde idem Christus apud Sanctum Marcum (Cap: 16. v. 15.) ait discipulis suis: *Euntes in Mun-*

dum universum prædicate Evangelium omni creaturæ, qui crediderit, et baptizatus fuerit salvus erit, qui vero non crediderit, condemnabitur. Nulla igitur est spes ad salutem iis qui Evangelium non credunt. Evangelium autem est explicita SS. Trinitatis professio. Qui ergo explicitam Trinitatis Fidem non habet, incapax est salutis. Video, sententiam posse intelligi, iis tantum convenire, quibus Evangelii doctrina fuerit proposita. Verum primo, sicuti Dominus, Apostolos omnem prorsus Terram, ac Mare adire jubet, ac ita ad omnes universim homines Evangelii doctrinam vult pertinere; ita sine ulla limitatione accipiendus est cum ait: *qui non crediderit, condemnabitur.* Secundo quod magis urget, quoniam solius Fidei defectu perire hominem pronuntiat hoc in loco Dominus, non item defectu unius Baptismi, majorem exprimit Fidei quam Baptismi necessitatem ad salutem; ut PP. unanimiter interpretantur; ac inter ceteros Bernardus, qui (Trac: de Bapt: Cap: II.) non dubitat asserere, solam Evangelii Fidem interdum sufficere ad salutem, et sine ipsa sufficere nihil. Atqui sine Baptismo, aut ejus voto, nemo prorsus salutem consequi potest, sive prædicatum audierit Evangelium, sive non audierit, ut Concilium Tridentinum definit (Sess: 5.); ergo minus fieri potest ut quis salvetur sine Fide Evangelii, scilicet sine Fide explicita Trinitatis.

§. 451. Prob. II. Ex Concilio Tridentino, et Symbolo Sancti Athanasii ab univerva Ecclesia recepto. Tridentina Syuodus (Primo Dec: sess: 5.) asserit: *Sine Fide nostra Catholica impossibile esse placere Deo.* Fides autem nostra Catholica, sine controversia, Fides est Trinitatis explicita; Athanasius vero in Symbolo ait: *Quicumque vult salus esse, ante omnia opus est ut teneat Catholicam fidem. Fides autem Catholica hæc est, ut unum Deum in Trinitate, et Trinitatem in unitate veneremur.* Ergo etc.

§. 452. Prob: III. ratione theologica. Extra

Ecclesiam Christiam nemini patet aditus ad salutem; Atqui nemo sine Fide SS. Trinitatis Ecclesiæ Christianæ membrum esse potest; cum tale Mysterium Dogma sit ex principalissimis quod profitetur Ecclesia; ergo sine Fide explicita SS. Trinitatis in præsenti statu promulgati Evangelii nullus potest salutem æternam consequi; adeoque etc.

Solvuntur argumenta opposita.

§. 453. *Objic*: In Lege veteri absque Fide explicita Trinitatis salus æterna consequi poterat; ergo etiam in nova Evangelii Lege sine tali Fide, quisque salvari potest.

§. 454. R. conc: antec, n: consm. Ex quo in Lege veteri homines sine explicita Trinitatis fide salvari poterant, perperam deducunt adversarii, nunc etiam in nova Evangelii Lege, homines absque tali fide salvari posse. Nam neque Baptisma in veteri Lege Naturæ, et scriptae ad salutem parvulorum requirebatur, cum parvuli tunc temporis sine eo salvarentur, et tamen in nova Evangelii Lege necessarium est, necessitate medii ad salutem. Itaque etiamsi fides Trinitatis explicita, necessaria non sit ex rei, ut ajunt natura, ad salutem, est tamen necessaria hoc tempore ex divina institutione.

§. 455. *Contra*. Ex concessis, fides explicita Trinitatis, non ex natura rei, sed ex Lege a Deo lata nececsaria est pro tempore hoc ad salutem; ergo concedendum est, non esse nunc temporis ita omnibus necessariam, ut nemo sine ea fide servetur. Prob: consa. Lex Evangelica de necessitate fidei explicitæ Trinitatis afficere non potest nisi eos, quibus est promulgata, non item eos, quibus non est Evangelium annunciatum. Quotquot igitur fuerunt olim, aut forte nunc sunt, quibus non est prædicatum Evangelium, ii etiam sine explicita illa fide servati sunt, aut servantur. Quare non est nunc temporis etc.

§. 456. R. dist: antec: Quatenus fides illa explicita est peculiare præceptum et mandatum novæ Legis, conc: antec:, quatenus est medium a Deo, pro hoc tempore, institutum ad consequendam salutem, n: antec:, et utramque consm. Si qui sint, ut certe fuere antehac quamplures, etiam post plenam Evangelii divulgationem, qui Evangelicæ legis insuperabili laborent ignorantia, ii novæ Legis mandato de fide explicita Trinitatis non ligantur; neque propterea, si eam fidem non habent, rei sunt violati præcepti, neque si pereunt, ob contemptam primariam Dei jussionem pereunt. At pereunt tamen; quoniam explicita Trinitatis fide deficiente, deficit ipsis medium, quo uno, possunt hoc tempore, Deo sic instituente, ad salutem pervenire. Id quod fit manifestissimum exemplo Baptismi, qui, quoniam parvulis est salutis medium in Lege nova, non potest deesse cuiquam, ubicumque locorum, et gentium degenti, quin æternum intereat, licet lege Baptismi pueri nondum ratione utentes obligari nequeant, iisque Baptismi defectus verti culpæ non possit.

§. 457. *Contra.* Atqui Lex Evangelica de necessitate fidei explicitæ Trinitatis nullo modo afficit eos quibus non est Evangelium prædicatum, ita ut respectu eorum sit ea Lex veluti non lata; ergo n.: r: Prob: subs: Antequam ea Lex Evangelica inciperet promulgari, neminem prorsus afficiebat, ac poterat quivis, sine fide explicita Trinitatis, pervenire ad salutem; ergo nunc etiam postquam promulgata est, nullo pacto eos afficit, quibus ignota est. Eadem est enim utrorum ratio.

§. 458. R. n: consm. Nam ante Evangelii promulgationem, omnes homines ad Legem Naturalem, aut Mosaicam pertinebant, nunc autem plene vulgato Evangelio, pertinent omnes ad Legem novam. Cum ergo fides Trinitatis explicita, proprie sit status hujus Legis Evangelicæ, ante Evangelii promulgationem,

nemini ea fides ad salutem necessaria erat; nunc omnibus necessaria est.

§. 459. *Contra* Atqui eadem ratio habenda est eorum, qui erant ante promulgationem Legis Evangeliae, atque eorum, quibus nunc Evangelium ignotum est; ergo sicut illis necessaria non erat ad salutem fides explicita Trinitatis, ita neque hisce necessaria est. Prob: sub: Sicut illis ignota erat lex Evangelica, ita et hisce ignota est; ergo etc:

§. 460. R. dist. antec. Et hi pertinent ad statum Legis Evangelicae, ad quem illi non pertinebant, conc:, neutri pertinent ad Legis Evangelicæ statum, n: antec: et dist: cons; quoad ea, quae pendent a notitia Legis Evangelicae, conc: quoad ea quæ pendent a statu Legis Evangelicae, n: consm. Si, qui inculpabiliter ignorant hoc tempore Evangelium, in eo quidem conveniunt cum iis, qui ante Evangelii promulgationem vivebant; quod nec ii tunc obligarentur, nec modo ipsi obligentur ad explicitam fidem Trinitatis, cujus Mysterii insuperabili ignorantia illi detinebantur, et ipsi pariter detinentur. Interim maxime discrepant utique ex parte status. Nam qui nunc Mysterium Trinitatis ignorant, sunt in statu, in quo fides explicita ejusdem Mysterii instituta est, tamquam medium ad salutem, ad quem statum non pertinebant homines, qui ante Evangelium vixerunt. Atque hinc est, ut illi sine explicita Trinitatis fide servari possent, hi neutiquam possint.

§. 461. *Contra.* Licet nunc temporis instituta sit fides Trinitatis explicita ut medium ad salutem, hæc tamen institutio non spectat eos, quibus nunc Evangelium non est praedicatum, sicut non spectat eos, qui ante Evangelii promulgationem vivebant; ergo manet, eamdem omnino habendam esse rationem eorum, quos nunc Evangelium latet, et eorum, qui ante Evangelii promulgationem vivebant. Prob. antec. Ea institutio non habet vim, nisi per Evangelii pro-

mulgationem; ergo non habet vim, nisi in iis, quibus est Evangelium patefactum, nullimode vero spectat eos etc.

§. 462. R. dist. antec. Per Evangelii promulgationem factam singulis hominibus indviduis, n:, factam generi humano, etsi non singulis humanæ speciei individuis, conc: antec, et n: consm. Institutio Divina de necessitate fidei Trinitatis explicitae ad salutem vim accepit in omnes; quando in omnem Terram exivit sonus Apostolorum, et in fines Orbis Terrae verba eorum; quando nimirum in Orbem universum Evangelium illatum est, licet non singulis hominibus patefactum. Nam per plenam hujusmodi Evangelii divulgationem, vetera jura omnino abrogata et rejecta sunt, ac jus novum suffectum est. Cum ergo ab eo tempore omnes, et singuli homines, ubique terrarum degentes, pertineant ad Legem novam, omnibus et singulis, sive perceperint Evangelium, sive non perceperint, necessaria est ab eo tempore fides explicita Trinitatis, ut salutem adipiscantur.

§. 463. *Contra.* Atqui divinum institutum de necessitate fidei explicitae Trinitatis ad salutem, licet generi humano, nempe magnae hominum parti, promulgatum, nullam habet vim in iis individuis hominibus, quibus haec Lex non est patefacta; ergo n. r. Prob. subs. Dum Evangelium per Apostolos vulgaretur, Evangelio etiam in multas Orbis Provincias illato, nullam utique vim habebat divinum institutum de necessitate fidei explicitae Trinitatis ad salutem in iis, apud quos non erat adhuc Evangelium promulgatum. Poterant quippe illi aut in Lege Moysi, aut in Lege Naturae salutem consequi; ergo etc.

§. 464. R. conc. antec. dist. cons., ante plenam Evangelii divulgationem, conc. post plenam Evangelii divulgationem, n. consm. Alia est ratio post plenam Evangelii divulgationem, atque antea erat. Nam, dum adhuc per Apostolos Evangelium vulgaretur, li-

cuit Paulo Timotheum circumcidere, et purificare se se ad Legis Judaïcae ritum; licitum quoque, imo et necessarium fuit abstinere a sanguine et suffocato; quod in Concilio Apostolorum definitum est. At nunc necessaria haec non sunt, neque licita, sed potius illicita, et noxia. Præterea nondum Apostolica prædicatione expleta, pueris eorum, ad quos Evangelium non pervenerat, satis erant vetera Sacramenta ad salutem, Baptismo opus non erat; quem hoc tempore omnino requiri ut pateat infantibus aditus ad salutem, Christiani non dubitamus. Similiter ergo statim a principio prædicationis Evangelicae sine fide explicita Trinitatis homines salvari poterant; post plenam vero Evangelii divulgationem non possunt. Est enim cujus rei ratio minifestissima. Nam ab exordio promulgationis Evangelicae Legis jus antiquum languere cæpit quidem, at omnino extinctum non est, nisi ea promulgatione absoluta. Prius naturalis, et Mosaica Leges, poterant prodesse aliquibus ad salutem, postea obesse potuerunt, et non prodesse. Hinc quibus antea Evangelium ignotum erat, supererat via, qua possent reparari; nunc superest nulla; modo enim una proposita est omnibus ad salutem via, *fides Evangelii*, sine qua ad salutem sufficere nihil, Bernardus verissime pronunciavit.

TRACTATUS IV.

De Deo Creatore.

§. 465. Deus intra se ab æterno perfectissime beatus, atque nullius egens, effusissima liberalitate volens ad extra quoque attributa sua infinita patefacere, atque bonitatem suam ostendere, aliis se communicando, creaturas omnes sive visibiles, sive invisibiles, omnipotenti sua virtute creavit; unde et credere ab Ecclesia jubemur *in Deum Patrem Om-*

nipotentem, *factorem Cœli*, *et Terræ*, *visibilium omnium*, *et invisibilium*. Postquam ergo pertractavimus de Deo, ut Uno in essentia, et Trino in Personis, opere pretium est de eo agamus ut Creatore.

CAPUT I.

De Mundi creatione.

§. 466. *Animad.* Mundi nomen ad varia significanda tum a Philosophis, cum a Theologis accipi solet. Ac 1. pro rebus creatis, hanc adspectabilem, stupendamque machinam componentibus, accipitur; Et de hoc loquitur Joannes (cap: 1.) dum dicit: *Mundus per ipsum*, idest per Verbum, *factus est.* II. accipitur pro presenti statu, quo vivitur inter homines. De hoc loquitur ipsemet Evangelista (eod. Cap:) quando dicit: *Illuminat omnem hominem venientem in hunc Mundum.* III. sumitur pro omnibus hominibus sive bonis, sive malis; quo sensu Christus Dominus (Joan: II.) dixit: *Ut cognoscat Mundus quia diligo Patrem.* IV. sumitur pro hominibus mundanis; hoc est pro illis hominibus, qui solis rebus terrenis inhiant, terrena sapiunt, nihilque aliud cupiunt, quam id quod vident, atque eorum carnale desiderium implet, quo sensu dixit laudatus Joannes (Cap. I. v. 10.): *et Mundus eum non cognovit.* V. accipitur Mundus pro honoribus, dignitatibus, etc:, quæ in præsenti Mundo habentur, et ab hominibus mundanis concupiscuntur. Et sub hac acceptione Evangelista prædictus (Epist: I. cap: 2.) de Mundo loquens, scripsit: *Omne quod est in Mundo concupiscentia carnis est, et concupiscentia oculorum, et superbia vitæ.* Præter has laudatas Mundi acceptiones, quintuplicem insuper Auctores distinguunt Mundum; nempe I. *Archetypum*; II. *Intellectualem*, III. *Elementarem*; IV. *Mundum magnum*; et V. *Mundum par-*

rum. Mundus Archetypus est Mens Divinæ, in qua sunt omnes formæ et exemplaria rerum faciendarum. Intellectualis est complexus Cœlestium intelligentiarum ab omni materia et corpore secregatarum. Elementaris est ille, qui ex quatuor coalescit elementis, Aere videlicet, Aqua, Terra, et Igne. Mundus magnus, qui et vocatur quoque *universum*, est tota creaturarum collectio. Tandem Mundus parvus dicitur homo, quem propterea microcosmon vocant Græci, idest Mundum compendiatum, quandoquidem in ipso omnium rerum reperitur epilogus: » Omnis etenim creaturæ, ajebat Sanctus Gregorius Magnus (Homil. 29. in Evang:) « » aliquid habet homo: habet namque commune esse » cum lapidibus, vivere cum arboribus, sentire cum » animalibus, intelligere cum Angelis ». Verum in presenti Tractatu Mundum accipimus pro universa rerum complexione. Itaque

§. 467. *Def*. 1. *Mundus hic aspectabilis est quædam machina affabre elaborata, omnibus suis in partibus ordinatissime disposita, Cælo, Terraque constans, atque omnibus his substantiis sive spiritualibus, sive materialibus, quae Cæli et Terræ ambitu continentur*.

§. 468. *Schol*: Ex hac Mundi definitione, vel descriptione, quæ in experientia sensuum, et naturali ratione fandatur, patet I. in Mundo esse ordinem; cumque ordo sit rerum dispositio ad finem, quæ ab aliquo, mente et ratione orbato, obtineri nequit, sequitur in Mundi efformatione sapientiam, non minus ac potentiam locum habuisse; II. esse entia materialia; composita proinde; quae quoniam aliter esse possunt, mutabilia sunt, finita, et contingentia: proindeque ab alio. III. esse entia spiritualia, quæ cum partibus careant, tota simul existere incipiunt; nec proinde per generationem, sed per solam creationem esse possunt.

§. 469. *Def*. 2. *Creatio* secundum Philoso-

phos, atque Theologos, stricto sensu, *est rei alicujus eductio ex penitus nihilo, non quidem essentiæ, quod est metaphysicum impossibile, et omnino repugnans, sed existentiæ*. Quare creatum dicitur, quod ex statu mere possibili, ad realiter existendum adducitur.

§. 470. *Schol.* Quamvis vero hic Mundus continuis suis vicissitudinibus, et perpetua rerum, quæ in ipso sunt mutatione, corruptione, se factum, et nonnisi ab omnipotenti, sapientissimo, atque optimo maximo Deo, non defuerunt tamen ex antiquis non modo, sed ex recensioribus, qui aliter, asserere ausi sunt, aut in varias circa ejus creationem, vel creationis modum; et tempus abire sententias. Ac primo omnes illi, qui cum veteribus Stoicis, atque Epicureis, materiam æternam statuunt, Mundi creationem inficiantur, quos inter non immerito accensentur Vaninus, Hobbesius, Benedictus Spinoza, aliique. Futant alii, Deum quidem condidisse materiam, sed informem, eamque in partes cubicas divisam, singulis suis partibus motum impressisse; unde ea in motu posita, et sibi ipsi relicta, juxta physicas motus agitur, et ex hoc Universi aspectabilis ordo nascitur. Opinantur alii, materiam creatam esse, sed a malo principio, ita Marcionitæ, et Manichæi. Existimarunt alii, Mundum sicuti se habet, creatum a Deo fuisse initio temporis, sed totum simul, unde et quæ de sex diebus creationis enarrat Moyses, in sensu metaphorico accipienda esse, contendunt. Alii tandem nil dubitant de Mundi creatione quomodo a Moyse narratur; disputant vero de anni tempestate, in qua Mundus conditus fuit. Gerardus Mercator, Julius Firmicus, et alii, Mundum in Æstate conditum fuisse volunt; Nicolaus de Lyra, Tostatus, Scaliger cum aliis non paucis, eum in Autumno prodisse contendunt. Sanior vero, et major pars Theologorum cum Sanctis Ec-

clesiæ Patribus, Mundum Verno tempore productum fuisse, sustinet. Quid sentiendum sit, paucis exponemus (1).

PROPOSITIO I.

Mundus est a Deo in tempore creatus.

§. 471. Prob. 1. Ex Scripturis. In Genesi habetur (Cap. I. v. 1.): *In principio creavit Deus Cœlum et Terram;* et in Psalmis (Psal. 32. v. 9. et 24. v. 5.): *Ipse dixit, et facta sunt ipse mandavit, et creata sunt.* Apud Isaiam legitur (Cap. XLII. v. 5.): *Hæc dicit Dominus creans Cœlos, et extendens eos: firmans terram, et quæ germinant ex ea: dans flatum populo, qui est super eam et spiritum calcantibus eam*: Hinc Propheta Daniel a Rege Persarum interpellatus, quare non coleret idolum Bel, *respondens* (Cap. XIV. v. 4.) *ait ei: Quia non colo idola manufacta, sed viventem Deum qui creavit Cœlum, et Terram, et habet potestatem omnis carnis*; Ergo Mundus etc.

§. 472. Prob. 2. Hac ratione: Mundus est ens continges; sed Ens contingens nequit esse a se; ergo est ab alio. Sed quod est ab alio est creatum; Ergo Mundus est a Deo etc.

§. 473. Prob. altera pars, quod nempe Mundus fuit in tempore creatus. Mundus est ens factum, atque creatum; Ergo non potuit in æternitate creari. Prob. consa. Creatio supponit transitum rei, quae creatur a non esse ad esse; Sed quod a statu inexistentiæ ad statum existentiae transit fit in tempore, ergo etc. Prob. min. Perfecta, atque completa æternitas est instans, initio carens, et fine. Quod ergo est

---

(1) *Vid.* Estius *in II. Sent. Dist. I. §. I.*

ab æterno, nec initium habet, nec finem, et consequenter quod esse incipit, ab aeternitate esse nequit; Ergo quod a statu, etc.; Ergo non potuit ab aeterno creari; ideoque etc. His adde: Si Mundus fuisset in aeternitate creatus, innumera alia de hominibus, atque rebus per tot saeculornm decursum in Mundo existentibus, nobis Historiae narrarent; Atqui uti constat, nonnisi de rebus per sex fere mille annos in Mundo actis aliquid nobis Historiae narrant; Ergo etc. (1).

§. 474. *Objic.* contra 1. p. Ex nihilo nihil fieri potest; Ergo Mundus creari non potuit; adeoque etc.

§. 475. R. dist. cons. Ex nihilo essentiae nihil fieri potest, virtute sive Dei, sive creaturae, conc. ans.; ex nihilo existentiae etc., virtute etiam Dei, n. ans., et consm. Ex nihilo essentiae nihil fieri posse virtute quidem divina, nemo unquam negavit. Cum namque nihil essentiae sit quod intrinsecus repugnat, fieri utique, nec etiam a Deo, potest, alias idem simul esset, et non esset; At non ita de nihilo existentiae loquendum est. Etenim cum nihil existentiae nullam dicat in suis essentialibus repugnatiam, ex eo potest utique, virtute divina, aliquid fieri. Quoniam ergo

---

(1) Hujus rationis pondus adeo grave ipsi Lucretio fuit, ut eo pressus sententiam de Mundi aeternitate revocarit. Unde et cecinit. Lib. V. de Nat. rerum.

Si nulla fuit genitalis origo
Terrarum et Caeli; semperque aeterna fuere.
Cur supra bellum Thebanum, et funera Trojæ,
Non alias alii quoque res cecinere Poetae?
Quo tot facta virum toties cecidere nec usquam
Æternis famae monimentis insita florent?
Verum (ut opinor) habet novitatem summa, recensque
Natura est mundi, neque pridem exordia cepit etc.

Mundus ex nihilo existentiae a Deo factus dicitur, nihil officit, quod in argumento opponitur.

§. 476. *Contra*. Atqui Mundus nec etiam ex nihilo existentiae a Deo creari potuit. Ergo n. r. Prob. subsm. Inter esse, et non esse reperitur distantia infinita; Atqui distantia infinita superari nequit. Ergo etc.

§. 477. R. dist. maj.: Distantia infinita negativa, conc., positiva, n. maj., et dist. min.: Sed distantia hujusmodi superari nequit a potentia creata, conc., a potentia increata, et infinita, n. min., et consm. Distantia, quae inter esse et non esse intercedit, est quidem infinita, at negativa est, non positiva. Jam vero haec distantia, a Deo, infinita potentia praedito, superari potest, superaturque; ipse enim (Roman. Cap. IV. v. 17.) *vocat ea, quae non sunt, tamquam ea, quae sunt: Ipse dixit, et facta sunt: ipse mandavit, et creata sunt* (Psal. 32. v. 9.).

§. 478. *Objic*. contra 2. partem. Si Deus ab aeterno non creasset Mundum, esset mutabilis, de non creante enim factus fuisset creans; Atqui Deus est immutabilis; Ergo Mundus ab aeterno, et non in tempore est creatus.

§. 479. R. n. maj. Nam Deus de non creante factus est creans, non per actum, qui ei de novo advenit, sed per actum quem semper, et ab aeterno habuit. Quare mutabilis dicendus non est, eo quia de novo aliquid creat, quia nulla nova entitas ei advenit, sed solum nova denominatio, et relatio ad creaturas. Etenim quidquid Deus vult in tempore, vult etiam ab aeterno, et nihil in tempore fit quod a Deo ab aeternitate non sit volitum, licet non pro aeterno, sed pro tempore (1). Porro illud unum in Deo

(1) Vid. alia apud Estium in II. Sent. Dist. I. §. X. Consulantur quae dicta sunt in nostra Cosmologia. Cap. II. §. 33. et seq.

est, nimirum volo Mundum creare, quod in ipso æternum est, et immutabile: Mundus vero mutatur, quia ex non creato creatur, sive ex non existente, evadit existens.

PROPOSITIO II.

Omnia sex dierum intervallo Deus condidit.

§. 480. Prob, ex Scripturis. In Genesi namque distincte narrantur opera singula, quae per sex dies distinctos in unoquoque eorum fecit Deus; et postea (Genes. Cap. II. v. 1. 2.) concluditur sic: *Igitur perfecti sunt Cœli et terra, et omnis ornatus eorum. Complevitque Deus die septimo opus suum, quod fecerat, et requievit die septimo ab universo opere, quod patrarat. Et benedixit diei septimo, et sanctificavit illum.* Unde in Exodo (Cap. XX. v. 9. 10. 11) rationem reddens Dominus Judaeis de Sabbati sanctificatione, inquit: *Sex diebus operaberis, et facies omnia opera tua. Septimo autem die Sabbatum Domini Dei tui est: non facies omne opus in eo . . . . Sex enim diebus fecit Dominus Cœlum et Terram, et mare, et omnia quæ in eis sunt.* Ergo omnia etc.

Adversariorum argumenta solvuntur.

§. 481. *Objic.* 1. In Ecclesiastico habetur (Cap. XVIII. v. 1.): *Qui vivit in æternum creavit omnia simul*; Ergo falsa propositio.

§. 482. R. Deus dicitur creasse omnia simul, non quia unico istanti, aut uno die omnia creaverit, sed vel quia nihil non est, quod non sit ab eo creatum; vel quia omnia ab initio, continuato tempore creavit; vel quia prima die omnia in semine, atque in substantia creavit: vel tandem, quod Mosaicæ de-

scriptioni apprime respondet: ab initio materiam omnem simul creavit, quæ futuri deinde Mundi rudimentum fuit, ex quo universae, quibus Mundus modo componitur, substantiae prodierunt.

§. 483. *Contra.* Atqui revera Deus creavit omnia simul; ita ut sex illi dies, in Genesi pro rerum creatione adsignati allegorice intelligendi sunt; ergo n: r: Prob: subs: Jobi (cap: 40.) haec verba leguntur a Deo dicta: *Ecce Behemoth, quem feci tecum*, etc: Nunc: Behemoth, idest Daemon primo die efformatus fuit, homo autem die sexto; sed ex laudato testimonio, Behemoth, et homo simul a Deo facti fuerunt; ergo simul eodem die; adeoque etc.

§. 484. R. dist: sens: auctorit: Et ly tecum indigitat creationis tempus, conc: indigitat diem, n. Siquidem cum ea omnia, quae in Genesi exarata leguntur, sicut distinctas res indigitant, ita sex distinctos dies significant, propter absurda, que inde nascerentur, jam verba Domini apud Job de creationis tempore, non de die exponenda esse perspiquum apparet. Sensus igitur allatae auctoritatis est, quod Behemoth, et homo, efformati fuerint, quando a principio creationis omnia alia a Deo condita sunt; adeoque etc.

§. 485. *Contra.* Atqui ly tecum non indigitat tempus creationis, sed diem; n. r.) Prob: subs. Res ita se habet, si omnia in Genesi exarata adscribat Moyses uni diei, atqui revera adscribit uni diei; ergo etc: Prob: min. In Genesi (Cap: 2.) haec leguntur verba. *Istae sunt generationes Cœli et Terrae, quando creatae sunt in die, quo fecit Deus Cœlum, et Terram, et omne virgultum agri* etc: Nunc Idem judicium esse debet de creatione Cœli et Terræ cum creatione plantarum, ac de ceteris rebus, sed Moyses creationem Cœli, Terrae, atque plantarum uni adscribit diei; ergo etc.

§. 486. R. admitt: auctorit, dist: sens: In die

hoc est in tempore, eonc; aliter n: et sic distincta min: n: consm. Juxta Scripturae loquendi modum dies ibi positus est pro tempore, qui loquendi modus in aliis Scripturae testimoniis etiam legitur expressus. Sic in Deuteronomio (cap: 32. v. 35.): *Iuxta est dies perditionis, idest festinant tempora.* Et I. ad Corinthios (cap: 6.): *Tempore accepto exaudivi te et in die salutis adjuvi te.* Ita quoque in eadem Scriptura uno, singularique hominis nomine, omnes indigitantur homines; ita Regius Psaltes (48. v. 8.): *Redimet homo.* Igitur uni creationis tempori adscribit Moyses creationem Cœli, Terrae, atque plantarum, non uni diei. Quamquam potest etiam dies intelligi proprie, sed acceptione confusa, ut non unus idemque dies, sed alius, atque alius intelligatur. Quod autem ibidem consequenter de virgultis, et herbis subjungatur: *priusquam orirentur, aut germinarent,* non propterea dicitur, quod etsi non existerent actu; potentialiter essent in Terra, prima creationis die; sed hunc habent sensum, quando creavit omne virgaltum et herbam, quando non erant.

§. 487. *Objic.* II. Nulla apparet ratio, cur Deus potens Mundum in instanti creare, illum sex distinctis diebus creare voluerit; ergo falsa propositio.

§. 488. R. Homunculi, qui sumus, et qui eorum etiam reddere non valemus rationem, quæ nos ipsi efficimus, frustra certe in operibus Dei infiniti, perfectissimi, liberrimi rationem quaerimus. Revelatione scimus per Moysen, Deum sex distinctis diebus Mundum, et omnia quae in eo sunt condidisse, atque id nobis sufficit ut firmiter teneamus ita esse. Ast cur sex distinctis diebus voluit Deus Mundum condere, cum id unico instanti facere potuisset? quia sic ei placitum fuit, sic voluit; ipsa enim Dei ipsius voluntas est ratio. Nam in operibus Dei ad extra, tota ratio facti, est voluntas facientis.

§. 489. *Contra.* Atqui Divina voluntas pro causa

assignari non potest, cur Deus voluerit sex dierum intervallo Mundum condere; ergo n: r: Prob: sub. Divina voluntas perfectissima est, et omnia ejus opera perfecta sunt; ut legitur in Deuteronomio (Cap: 32.); ergo Mundum ab initio in sua perfectione condere debuit; et per consequens Divina voluntas etc.

§. 490. R. dist: antec: Omnia opera ejus perfecta sunt, hoc est, quia in eis nihil inveniri potest, quod merito reprehendere possumus, conc:, aliter, nego, ante: et consm. Perfectum in citato capite Deuteronomii, non intelligitur illud, quod ex omni parte sit absolutum, integrum et perfecte formatum sed illud, in quo nihil est quod reprehendi possit, hoc est quod magis perfecte conducit ad finem a Deo intentum, qualia sunt proculdubio omnia Dei opera, quantumvis alioquin imperfecta. Etenim non minus Deo possibile est, imonec minus congruum, distinctis temporum spatiis rerum naturas producere, quam facere omnia simul: quandoquidem et miracula Christus Dominus interdum non momento, sed successive, perfecit, ut quando (Marc: cap. 8.) cœcum, prius imperfecte, deinde perfecte illuminavit. Quod si hujus facti rationem quaeretur, certe non aliam assignare possumus, quam Divinam voluntatem, quae ab imperfecto ad perfectum processit, ut melius ad finem intentum deveniret. Optime igitur Divina voluntas adsignari potest pro causa, cur voluerit Mundum sex dierum intervallo condere, et non unico instanti.

§. 491. *Contra.* Atqui neque Divina voluntas perfectissima esset, neque opera ejus perfecta, si Mundum sex dierum intervallo condidisset; ergo n: r: Prob. subs: Juxta commune axioma: perfectior est ille, qui cum possit, efficit aliquid per pauciora magis, quam per plura; sed potuit Deus, Mundum condere unico temporis instanti; ergo neque voluntas Dei etc.

§. 492. R. dist: maj: Et axioma allatum locum

habet cum agentibus naturalibus et finitis, conc:, cum Deo, n: maj: et concessa min: ne consm. Laudatum itaque axioma, congruentiam aliquam habere potest cum agentibus naturalibus, qui in suis perficiendis operibus defatigantur, non vero cum Deo cui idem est vel pauca, vel infinita, successive vel instanti producere. Semper igitur perfectissima est Divina voluntas, et perfecta pariter sunt opera ejus, esto Mundum sex diebus condiderit.

PROPOSITIO III.

Probabilius est, Mundum in Æquinoctio Verno fuisse a Deo conditum.

§. 493. Prob. Nam cum dixistet Deus (Gen. Cap. IX. v. 11.): *Germinet Terra herbam virentem, et facientem semen, et lignum pomiferum faciens fructum juxta genus suum, cujus semen in semetipso sit super Terram; factum est ita, et protulit Terra herbam virentem, et facientem semen juxta genus suum, lignumque faciens fructum etc.*; Atqui in Æquinoctio Verno potius, quam autumnali, Terra germinat herbam, et plantæ floribus non solum, sed et fructibus pleræque in illa orientali plaga, in qua homo conditus fuit, onustae apparent; Ergo etc. Deinde Diluvium cessavit cum initio anni, et cum cessavit, quoniam aquarum inundatione omnia perierant a facie Terræ, necesse erat ut Terra herbam virentem germinaret pro animalium cibo, et plantae novos fructus producerent in hominum usum; Atqui nonnisi verno tempore id obtineri potest; Ergo initium anni fuit verno tempore; adeoque, probabilius etc. Rursus Deus creavit pro homine Paradisum voluptatis, variis arboribus fructiferis, atque plantis consitum, variisque herbis, atque floribus refertum; Atqui hujusmodi Paradisus hortus deliciarum pro

homine non fuisset si in Autumno creatus fuisset; Ergo etc. Prob. min.: In Autumno terra floribus caret, et plantae, ut plurimum ipsis frondibus spoliantur; quod si aliquae plantae fructus habent, modico tempore durant; nam statim succedit Hyems; Ergo etc. Tandem, juxta multorum Sanctorum Patrum sententiam, tunc Mundus conditus fuit, cum a Jesu Christo per vitam, mortem, et Ressurrectionem suam fuit redemptus; atqui recurrente Æquinoctio verno Jesus Christus ex Maria Virgine carnem assumpsit, et pro Mundi redemptione seipsum in ara Crucis Deo Patri obtulit; Ergo etc. (1). Hinc Patres Palestinae Synodi jussu Victoris Papæ a Theophilo Cæsariensi convocatæ, ita unanimi consensu loquuntur: *Nunc ergo investigavimus quomodo in principio factus fuerit Mundus, idest die Dominico, verno tempore, in æquinoctio, quod est Octavo Kalendarum Aprilium, Luna plena: per ipsum tantummodo tempus elementa resurgunt.*

Adversariorum argumenta solvuntur.

§. 494. *Objic*: I. Mundus in Æquinoctio Verno a Deo conditus non fuit, si apud Israelitas annus numquam initium habuit a mense Martii; atqui ita se res habet; ergo falsa propositio. Prob: maj: In Exodo (cap: 12.) ita de mense Martii legitur: *Mensis iste vobis principium mensium: primus erit in mensibus annis.* Quibus positis, en argumentum. Post exitum de Egypto, Moyses principium anni revocavit ad mensem Martii, ergo antea apud Israelitas annus numquam habuit originem ab hoc mense; et per consequens etc.

---

(1) Vid. Ferraris Biblio. Verbo Mundus. Tirini Coronicon Sacrum. Berti Lib. XI. de Theolog. discip. Cap. VI. Sgambat. de Teolog. Instit. Lib. X. Cap. IV.

§. 495. R. n: consm. Verum quidem est, post exitum de Egypto, Moysen revocasse principium anni ad mensem Martii, at inde colligi non debet, annum apud Israelitas numquam initium habuisse ab hoc mense. Siquidem cum Israelitæ Gentilium consuetudinem sequentes, annum incoharent a mense Octobris, ab Egyptiorum postea captivitate liberati, in memoriam hujus beneficii non solum, sed etiam creationis, revocavit Moyses initium anni ad verum primum mensem Martii, in quo Mundi creatio facta fuit. Patet id ex iisdem Exodi verbis; non enim ibi legitur solummodo: *Mensis iste erit primus*, sed etiam: *Mensis vobis principium mensium, primus erit in mensibus anni.* Unde sensus verborum Moysis, hic est: Egyptiis initium anni est circa Æquinoctium Autunni, cum Nilo in amnem suum residente, ad agrorum culturam se convertunt; at vobis principium anni est circa Æquinoctium Vernum, quando Deus vos condidit, et quando ab Egyptiorum durissima servitute, in manu forti, et brachio extento vos liberavit: Redite itaque ad instituta majorum, et ab hoc tempore in posterum menses, annosque subducite.

§. 496. *Contra.* Atqui Moyses revocavit principium anni ad mensem Martii, a quo numquam initium habuit annus apud Israelitas; ergo n: r: Prob: subs: Post exitum de Egypto, et postquam revocavit Moyses initium anni a mense Martii, adhuc retinuit anni initium a mense Octobris; ergo etc: Prob: antec: Exodi cap: 23. et 24., præcipitur filiis Israel solemnitatem agere in exitu anni, quando redeunte anni tempore, cuncta conduntur, post scilicet collectionem omnium frugum. Igitur post collectionem omnium frugum, mense scilicet Octobris, annus apud Israelitas semper initium habuit; ergo Moyses etc.

§. 397. R. n: consm. Non negamus, præter anni principium, a Moyse, ad mensem Martii revocatum, alium annum, nempe Georgicum fuisse Israelitis,

qui incipit a satione, et desinit in messe. Non negamus hunc annum, post exitum ab Egypto fuisse quoque a Moyse retentum; ut reconditis frugibus, gratias Deo ab Israelitis agerentur, Festumque Tabernaculorum pro talibus gratiis agendis celebraretur. At hunc annum esse antiquiorem eo, qui orditur ab Æquinoctio Verno, nec demonstratum est, nec rationes offeruntur, quibus demonstrari possit.

§. 498. *Contra.* Atqui adest ratio, et quidem firma, qua probari potest, annum Georgicum apud Hebræos antiquiorem esse eo qui orditur ab Æquinoctio Verno; Ergo revera Moyses etc: Prob: subs: Hodierna anni resolutio apud Hebræos est in Autumno et in hoc tempore incipit eorum Lectionarium. Sed hæc duo, utpote adhuc apud ipsos retenta, probant, initium anni ab Autumno antiquissimum fuisse apud Hebræos; ergo adest etc.

§. 499. R: conc: maj: ne min: et consm. Ex quo hodierna anni resolutio, et Lectionarium apud Hebræos initium sumant in Autumno, nequit inferri annum Georgicum antiquiorem esse eo, qui incipit a mense Martii. Et sane, non ex resolutione anni ab Autumno, quandoquidem non una, sed quatruplex est anni resolutio apud Hebræos; I. scilicet in mense Martii cum Sol signum Arietis ingreditur; II. in mense Julii, cum ingreditur signum Cancri; III. in mense Octobris, cum Sol ingreditur Libram; et IV. cum Sol ingreditur signum Capricorni. Neque ex Lectionario. Lectionarium etenim Hebræorum incipit in mense Octobris, non propter anni initium, sed quia praecipit Deus (Deuteron: cap: 31.), ut lex legeretur coram omni Israel in solemnitate Tabernaculorum.

CAPUT II.

De Opificio sex dierum.

Quæres. *Quid prima die creationis condiderit Deus?*

§. 500. R. Prima die Deus, Omnipotenti sua virtute, creavit, hoc est ex nihilo tam sui, quam subjecti (§. 469.) eduxit I. Cœlum Empireum, quod *Cæli Cælorum* (Ps: 148. v. 4.) et Dei nomine insignitum est; et sedes Dei est, atque Beatorum domicilium. II. creavit Terram, quoad materialem suam substantiam nempe, sed rudem, informem, scilicet inanem, et vacuam, absque herbis, plantis, animalibus, vel alio quovis hornamento; imo aquis tota circumvoluta, tenebrisque obducta: super quas aquas, Spiritus Domini, non quidem ventus, uti Hebraei quidam opinantur, sed Spiritus Sanctus ferebatur, vel potius incumbabat, ut foveret eas, et ad animalium, rerumque aliarum fœcundationem et productionem disponeret. III. creavit lucem; corpus nempe vel substantiam lucidam; quae cum adesset, dies erat; cum in se contraheretur, tenebrae redibant, et erat nox. Totum hoc patet ex Genesi (Cap: I.) ubi legitur: *In principio creavit Deus Cœlum et Terram. Terra autem erat inanis et vauca, et tenebræ erant super faciem abyssi: et Spiritus Dei ferebatur super aquas. Dixitque Deus fiat lux. Et facta est lux. . . . et divisit lucem a tenebris. Appellavitque lucem diem, et tenebras noctem: factumque est vespere et mane, dies unus.*

Quaeres. *Quid indicare voluit Moyses per illa verba:* In principio creavit Deus etc.

§. 501. R. Verba illa triplicem habere possunt sensum. I. intelligi possunt hoc sensu, quod nempe initio temporis et Mundi, cuncta Deus ex nihilo eduxerit, ut ostenderetur, Mundum, et omnia,

quae in eo sunt, non fuisse aeterna, et improducta, vel ex fortuito athomorum concursu emersisse, sed habuisse initium, per creationem, et quidem a Deo optimo maximo. II. illud in principio idem significat ac ante omnia; ita nempe, quod ante talem creationem Cœli et Terrae, nihil aliud creatum fuerit a Deo. Et ita quidem ut Cœlum, et Terra inter creatas rés omnes primarium formationis gradum et ordinem teneant. Hinc Psalmista (Psal: 101.): *Initio tu Domine*, ait, *Terram fundasti; et opera manum tuarum sunt Caeli* III. tandem: In principio idem sonat ac in Filio; de quo ait Joannes (Cap. I. v. 3.): *Omnia per ipsum facta sunt*, *et sine ipso nihil*, *quod factum* est. Et sane Filius, seipsum pluries principium rerum nominat. Ita apud Joannem (Cap: 8.), interrogatus respondit: *Principium qui et loquor vobis*. Et in Apocalypsi (Cap: I.): *Ego sum*, inquit *novissimus et primus*; *principium et finis*.

Quaeres. *Quid significat quod tenebræ erant super faciem abyssi?*

§. 502. R. Abyssi nomine hic intelligi potest immensa profunditas aquarum a Deo creatarum; juxta Eustachium apud a Lapide (in hunc loc.): *Abyssus est aqua nimia infinitum habens profundum;* vel potius immensa et profunda illa moles, ex terra simul, et aqua constans, cujus superficiem, quia tunc nulla lux creata erat, tegebant densissimæ tenebræ, videlicet aerem universum occupantes, de quibus dixit postea Dominus Job (Cap: 38. v. 9.): *Ubi eras*, *cum caligine illud* (mare) *quasi pannis infantiæ obvolverem?*

Quaeres. *Quidnam secunda die creaverit Deus?*

§. 503. R. Secunda die in medio aquarum creavit Deus firmamemtum; corpus nempe juxta Sanctum Hjeronymum (Psal: 43. ad Oceanum), et Sanctum Augustinum (Opere imp: Gen: ad Litt: c. 12.):

non solidum, sed diaphanum, quod ab Empireo Cœlo ad Terram usque protenditur. Audiatur Sanctus Augustinus: « Cum dicitur firmamentum Cœlum, intelligendum est, omnem istam aetheream machinam » dici, quae omnia substantia continet, sub qua puri » et tranquilli aeris serenitas viget, sub qua item » iste aer turbulentus, et procellosus agitatur ». Quo firmamento, aquae ab aquis divisae sunt; aquae nempe quae erant sub firmamento divisæ sunt ab aquis, quæ erant super firmamentum, et firmamentum ipsum a Deo vocatum est, Cœlum. Ita habetur ex supradicto Geneseos Capite: *Dixit quoque Deus: fiat Firmamentum in medio aquarum: et dividat aquas ab aquis. Et fecit Deus firmamentum, divisitque aquas, quæ erant sub firmamento, ab his quæ erant super firmamentum. Et factum est ita. Vocavitque Deus firmamentum Cælum; et factum est vespere, et mane, dies secundus.*

Quaeres. *Quid tertia die fuerit creatum?*

§. 504. Tertia die, aquae, quae superficiem Terrae operiebant, in alveos, et cavitates Terrae ipsius congregatae sunt; apparuerunt montes; sicque in multis partibus discooperta Terra, apparuit arida; atque jussu Dei protulit herbas, plantas, atque arbores, et Paradisus terrestris, consitus fuit.

Quæres *Quid quarta die creavit Deus?*

§. 505. R. Quarta die ex corpore lucido, Solem, Lunam et Stellas condidit Deus. Et posuit eas in firmamento Coeli, ut lucerent super Terram, et præessent diei ac nocti, et dividerent lucem, ac tenebras.

Quaeres. *Quid quinta die produxerit Deus?*

§. 506. R. Quinta die ex aquis Omnipotens Deus pisces, et aves eduxit (1). Ita enim laudato in Ca-

(1) Hinc Ecclesia in hymno Feriae V. ad Vesperas canit.

» Magnae Deus po-
» tentiae
» Qui fertilis natos
» aqua.

pite dicitur: *Creavit Deus Cete grandia, et omnem animam viventem, atque motabilem, quam produxerant aquæ in species suas, et omne volatile secundum genus suum.*

Quaeres. *Quid sexta die produxerit Deus?*

§. 507. R. Sexta die produxit animalia omnia terrestria quadrupedia, et reptilia. Inde creavit hominem, Adam nempe, ad imaginem et similitudinem suam, anima spirituali, et corpore compositum, ex cujus dormientis latere, ablata costa, ex ea mulierem, Evam nempe, formavit ipsi Adae consortem (1). Id omne expresse habetur laudato in Capite (v. 25. et seqt.): *Et fecit Deus bestias terræ juxta species suas, et jumenta, et omne reptile terrae in genere suo . . . . . Et creavit Deus hominem ad imaginem suam. Ad imaginem Dei creavit illum, masculum, et feminam creavit eos ec.*

CAPUT III.

De primorum Parentum formatione, atque dotibus.

§. 508. Incredibile est quot errorum monstra circa primorum Parentum creationem pervulgata fuerint. Ex Mahumetanis Giafar Sadik, tres Adamos, nostrum Adamum praedecessisse asserit. Idipsum fere circa medietatem saeculi 17. docuerunt Præadamitæ, plures homines ante Adam fuisse dicentes. Philo Ju-

» Partim relinquis
» gurgiti
» Partim levas in
» area
» Demersa lymbis
» imprimens
» Subvecta Caelis e-
» rigens,
» Ut stirpe ab una
» prodita,
» Diversa repleant
» loca.

(1) Vid. Genesis Cap. I. Frassen de Creaturarum corporalium etc. formatione. Tournely Tract. de opere.

daeus, Simon Magus, aliique, Adami corpus ab Angelis efformatum fuisse tenent. Manichaei illud a principe materia; Beguardi, et Cathari vero a Diabolo conditum esse dicunt. Julianus Augustus non unum hominem ab initio, sed plurimos simul cum Adamo extitisse ait. Origenes tandem, ut alios taceamus, quae de Opere sex dierum in Scripturis leguntur, non proprie, et literaliter, sed figurate, et mystice intelligenda esse putat. Nos, quae catholice tenenda sunt, distinctis propositionibus exponemus.

PROPOSITIO I.

Adam quoad corpus, et animam, immediate a Deo conditus fuit.

§. 509. Prob. Nam Scriptura expressis verbis ait (Genesis Cap. II. v. 7.): *Formavit Dominus Deus hominem de limo terrae, et inspiravit in faciem ejus spiraculum vitae, et factus est homo in animam viventem*; Atqui per hominem de limo terrae, intelligunt unanimiter Sancti Patres, atque Theologi, Adae corpus, per spiraculum vero vitae animam rationalem, atque spiritualem ejus corpori infusam; Ergo etc. (1).

PROPOSITIO II.

Ante Adamum, et Evam, nullus homo extitit.

§. 510. Prob. Adam sexto die ab incoepta Mundi creatione conditus fuit; Si ergo aliquis alius homo ante Adamum extitisset, vel extitisset ante Mundi

(1) Vid. Suarez de opere sex dierum Lib. III. Cap. I.

creationem, vel in aliquo dierum creationis rerum fuisset creatus; Atqui neutrum dici potest; non primum, quia locus deerat, ubi homines habitarent; non secundum, quia solum sexta die, dicitur Deum hominem creasse; Ergo etc. Deinde, si ante Adamum, et Evam alii homines fuissent, Adam non fuisset solus, et facile inventum fuisset ei adjutorium simile sibi; neque defuisset qui terram operaretur; Atqui ex Sacra Scriptura (Genes. Cap. II. v. 18.): Adam erat solus, cum a Deo creatus fuit; Unde et dixit Dominus: *Non est bonum hominem esse solum*; *nec inveniebatur adjutor similis ejus*; imo ante ipsum (Ibid. v. 5.): *homo non erat, qui operaretur terram*; Ergo etc. (1).

PROPOSITIO III.

Eva reapse ex Adae costa efformata fuit.

§. 511. Prob. Quod Scriptura clarissimis verbis exprimit, indubia fide tenendum est; Atqui Scriptura Evae formationem enarrans, apertissime dicit, eam ex Adae costa a Deo fuisse efformatam; Ergo etc. Prob. min. In Genesi legitur (Cap. II. v. 21): *Immisit Dominus Deus soporem in Adam, cumque obdomisset, tulit unam de costis ejus, et replevit carnem pro ea. Et aedificavit Dominus costam quam tulerat de Adam, in mulierem etc.* Ergo etc. (2)

---

(1) Leg. Sgambati de Theolog. Inst. Tomo V. Lib. X. Cap. XI.

(2) Vid. Sgambati L. X. de Theolg. Instit. Cap. VII. Poncius Disp. XVI. q. III. Concl. 3. Estius in II. Sent. Disp. XVIII. §. 1. Suarez de opere sex dierum Lib. III. Cap. II.

Dices. Si hoc ita esset, dicendum foret aut Adam fuisse monstruosum ante Evæ creationem, utpote costa superflua dotatum; aut si non costa superflua dotatum, post Evae creationem, remansisse defectuosum.

§. 512. R. cum a Lapide ex D. Thoma: « » Hanc costam Adæ fuisse instar seminis, quod in- » dividuo superfluum est, sed ad generationem pro- » lis est necessarium. Pari enim modo costa haec » Adae, ut privatae personae superflua erat, eadem » tamen illi necessaria fuit, quatenus ipse erat ca- » put naturae, et seminarium omnium hominum, » ex quo tam Eva, quam ceteri homines produce- » rentur. Eva enim non poterat perduci, ut proles » jam, per semen, Deus ergo statuit ut ex costa Adæ » produceretur ».

PROPOSITIO IV.

Revera existit Paradisus terrestris, in quo Adam, et Eva positi fuerunt. In qua vero Orbis parte situs fuerit, et an modo etiamnum existat, ignoratur.

§. 513. Prob. Nam ille locus revera extitit, qui in Sacra Scriptura describitur distincte, atque dicitur a Dso plantatus ab initio, consitus omni lingo pulchro visu, et ad vescendum suave, in medio habens lignum vitae, lignumque scientiae boni, et mali, irrigatus a fluvio, qui de loco voluptatis egrediebatur, etc. Atqui talis est Paradisus terrestris etc., uti patet ex Genesi (Cap. II. v. 16. et seq.); Ergo etc. (1).

(1) Vid. laud. Sgambati ibid. Cap. VI. Poncius disp. XVI. q. 4. Estius in II. Sent. Dist. XVII §. XVI. Bellarminus Lib. unico de grat. primi hominis Cap. X. Suarez de opere sex dierum Lib. III. Cap. VI.

§. 514. Prob. II. P. Nam neque Scripturae neque Traditiones aliquid certi super hac re nobis subministrant; unde inutile est de eo inquirere; quare ducimus cum S. Augustino (Lib: 8. de Gen: ad lit: c. 8.), Melius dubitare de occultis, quam litigare de incertis. Ad Orientalem Mundi plagam illum conditum fuisse non dubitatur; unde mos invaluit orare facie versa ad Orientem, ut recordemur, nos a Paradiso terrestri, ob Adae culpam expulsos, misericordia Jesu Christi, qui abstulit peccatum Mundi, ad Cælestem Paradisum comparandum ideoneos factos esse.

§ 515. Prob: III. P. Nam quod existat locus in quo Paradisus consitus erat, certum est; existere autem Paradisum ipsum sicut a Deo conditum fuit ab initio pro nostris Protoparentibus, nullus certe affirmare potest, maxime cum aquis Diluvii omnia deleta fuerint.

PROPOSITIO V.

Quæ de primorum Parentum tentatione, et lapsu narrat Scriptura, in sensu proprio accipienda sunt.

§. 516. Prob. Moyses Mundi creationem, hominumque primorum formationem, et omnia quae eis acciderunt historice narrat; Atqui quod historice narratur, literaliter non allegorice accipiendum est; Ergo quae de etc. Hinc. S. Augustinus Librum Genesis exponens, cum praemisisset textum, in quo narratur Evae tentatio, et tam ipsius, quam viri lapsus, ait (Lib. XI.): « Antequam hujus propositæ » Scripturae textum ex ordine pertractemus, admo» nendum arbitror, quod jam me et alibi in hoc » opere memini praeloquutum, illud a nobis flagitan-

» dum, ut ad proprietatem literae defendatur, quod » gestum narrat ipse, qui scripsit (1) ».

Quæres. *An Serpens qui Euam seduxit fuerit verum serpens, et quomodo loqui potuerit?*

§. 517. Multi multa dicunt; verum omnino tenendum est, illum verum fuisse serpentem, quo tamquam instrumento usus fuit Lucifer ad Evam seducendam. Quare ejus loquutio non fuit ex vi propria, et naturali, sed ope Dæmonis, qui per illius organa, ita movit aerem, ut vocis sonum expresserit.

Quaeres. *Cur Eva non exhorruerit audiendo, quod serpens loqueretur?*

§. 518. R. Nam exhorruit, sciens in illo statu, nullum animal, quantumvis noxium, posse ipsi nocere. Non advertit tamen, an qui per serpentem loquebatur, spiritus bonus esset, vel malus, quippe quae victa curiositate, solum rei eventum attendebat.

Quaeres. *Cur serpens Evam potius aggressus sit quam Adamum?*

§. 519. R. Quia Eva ratione sexus imbecillioris facilius decipi poterat, quam Adam. Audiatur S. Augustinus (Serm: 61. de div:): « Lapsum certe primi » hominis nostis, quia non est ausus serpens loqui » viro, sed ad eum dejiciendum faemineo usus est » ministerio, per inferiorem obtinuit fortiorem, et » qui per alterum penetravit, de utroque triumphavit ».

Quaeres: *An primi Parentes a Deo conditi fuerint immortales?*

§. 520. R. Primi Parentes mortales quidem conditi fuerunt, at si perseverassent in statu innocentiae, Dei beneficio non erant morituri. Quare immortalitas eorum, non erat naturalis conditio, sed

(1) Vid. Poncius Disp. XVIII. q. 1. Estius II. Sent. Disp. XXI. §. 1. et seq. Suarez ut supra Lib. IV. Cap. I.

gratiae beneficium (Tomo II. §. 419. et seq.). Optime Praeceptor Subtilis (II. Sent. dist. XIX.): « Concedo, quod primus Parens habuit potentiam ad » mori, ista tamen potentia non fuisset redacta in » actum, et sic poterat non mori ». Ita communiter etiam omnes Theologi.

Quaeres. *Qua ratione Adamus, ejusque posteri fuissent immortales, si Adam non peccasset?*

§. 521. R. Si Adam non peccasset, tam ipse, quam ejus posteri fuissent immortales, non quidem per donum Dei intrinsecum, sed per providentiam Dei extrinsecam. Nam homo, conditione suae naturae, mortalis a Deo conditus fuit (§. 520.). Immortalitas ergo primis parentibus donum Dei erat, non intrinsecum illis, quo mortem effugerent, sed extrinsecum, quo a morte praeservarentur. Et sane ex S. Augustino (1). Sicut vestimenta filiorum Israel attrita non sunt 40. annis per Desertum, nec calceamenta pedum sunt vetustate consumpta, Deo supra id, quod illorum natura postulabat, toto illo tempore conservante: sic animali, et mortali corpori hominum, in statu innocentiae contulisse Deum statum quemdam, quo sine defectu annorum esset, quousque ad omnimodam immortalitatem perveniret.

Quaeres. *Qua ratione homo in statu innocentiae immunis erat a passionibus?*

§. 522. R. Homo in statu innocentiae immunis erat a passionibus, quia appetitus sensitivus, seu pars ejus inferior, perfecte parti superiori animae subjiciebatur, et rationi, idque ex gratuito, et supernaturali Dei dono, quod nempe humanae naturae indebitum erat. Nam si ex dono naturae, tunc homo li-

(1) Lib. I. de peccat. met. Illud. Dupasquier summa Theolog. Scotist. Tomo III. disp. II. q. V. concl. 2. Bellarminus Lib. unico de gratia primi hominis Cap. XI.

ber, atque immunis erat a passionibus, etiam nunc talis esset; quia, uti docent Theologi, pura naturalia in homine remanserunt; Atqui talis modo non est; Ergo etc. Quare merito inter damnatas a Pio V., et Innocentio XIII. Michaelis Baji propositiones, hæc recensetur: *Integritas primæ conditionis non fuit indebita humanæ naturæ exaltatio, sed debita ejus conditio.*

CAPUT III.

De gratia Adæ primo parenti concessa.

§. 523. *Animad.* Per gratiam hic supponimus Dei donum supernaturale, de quo Tractatu sequenti erit specialis sermo. An vero Adae concessa fuerit, et quomodo.

Variae sunt Auctorum sententiae.

§. 524. Lutherus justitiam Adae originalem vere naturalem fuisse asserit. Idipsum fere sensit Calvinus. Michael Bajus nihil supernaturale in statu innocentiae statuendum esse affirmat. Iansenius vero junior, supernam gratiam, creaturae rationali innocenti, atque ideo Adae in prima sui conditione debitam esse inquit: Hinc Paschalis Quesnellus Baji, et Jansenii sectator asserere non dubitavit, gratiam Adami esse sequelam creationis, atque naturae sanae et integrae debitam. Theologi Catholici his omnibus adversantur, solummodo discrepant inter se in assignando tempore, quo Adam gratia supernaturali condecoratus fuit. Alii volunt gratia donatum fuisse in ipsa sui creatione, alii post creationem. Hoc autem fidei non officit (1).

(1) Gener. Part II. Tract. I. Lib. III. §. 171.

PROPOSITIO I.

Adam ante lapsum gratia sanctificante præditus erat.

§. 525. Prob. Nam ex Concilio Tridentino (Sess. V.): *Si quis non confitetur, primum hominem Adam, cum mandatum Dei in Paradiso fuisset trangressus, statim sanctitatem et justitiam, in qua constitutus fuerat amisisse, anathema sit.* Ergo Adam ante lapsum gratiam sanctificantem habebat; si enim non habuisset, nihil amisisset. Adeoque etc.

PROPOSITIO II.

Communior sententia est, Adamum in gratia sanctificante conditum fuisse.

§. 526. Prob. ex Scripturis. In Ecclesiaste (Cap. VII. v. 30.) habetur: *Hoc inveni, quod fecerit Deus hominem rectum;* ac per hoc voluntatis bonae, subdit Augustinus (Lib. XIV. de Civit. Dei Cap. IX.): Non enim rectus esset, bonam non habens voluntatem. « Deus ergo fecit hominem rectum, concludit » a Lapide (Cap. IV.), quia in ipso creationis mo» mento, Adamo gratiam sanctificantem infudit, cum» que justitia originali vestivit ». Quare Apostolus ad Ephesios scribens, eos hortatur dicens (Cap. IV.): *Renovamini spiritu mentis vestrae, et induite novum hominem, qui secundum Deum creatus est in justitia, et sanctitate veritatis.* Igitur etc. (1).

(1) Vid. Suarez de Opere sex dierum Cap. XXIII.

PROPOSITIO III.

Immunitas a miseriis, et morte, necnon gratia, qua mereri poterat æternam beatitudinem, in Adamo non fuerunt humanae naturae conditiones, et proprietates, sed potius dona eidem humanae naturae indebita.

§. 527. Prob. Nam poterat Deus Adamum condere miseriis hujus vitae obnoxium, ut nempe frigus, calorem, sitim, famem, laxitatem, etc. persentiret; Ergo si talem condidit, ut ab iis miseriis fuerit immunis, id ejus donum fuit, et quidem humanæ naturæ indebitum; unde et peccando amisit. Deinde: ex praecipuis Adami miseriis potior est mors; Sed immunitas a morte non fuit conditio humanae naturae, sed beneficium et gratia conditoris (§. 520.); Ergo etc. Tandem si gratia in Adamo ad beatitudinem aeternam consequendam fuisset humanae naturae conditio, ea post lapsum in Adamo mansisset, *cum*, sicut ait S. Thomas (Parte I. q. 95. art. 1.), *etiam in Dæmonibus data naturalia post peccatum permanserint*; Atqui non permansit; Ergo etc. Hinc jure a Summo Pontifice Clemente XI. damnata fuit haec Quesnelli propositio: *Gratia Adami est sequela creationis, et erat debita naturae sanae et integrae.*

CAPUT IV.

De primorum Parentum peccato: ejusque in postesos propagatione

§. 528. *Animad.* Primum hominem a Deo miris supernaturalibus donis condecoratum, invidia diaboli peccasse, atque ideo mala innumera incurrisse, dogma Fidei Catholicae est inconcussum; quodnam vero fuerit

ejus peccatum, quosque effectus produxerit, in disquisionem vocatur. Doctor Subtilis putat, primum Adae peccatum fusse inordinatum ejus amorem; non quidem concupiscentiae, sed amicitiae erga suam uxorem. S. Thomas cum suis docet, peccatum illud fuisse superbiam. Utraque opinio suis fulcitur probationibus tum ex Sacra Scriptura, cum ex Sanctis Patribus petitis. Pelagiani, Albigenses, Anabaptistae, et alii volunt Adami peccatum in posteros non transfundi; alii e contra ita illud in omnes ejus posteros traduci sustinent, ut ne quidem BB. Virgo, singulari privilegio, fuerit ab illo immunis. Joannes Oecolompadius, Martinus Lutherus, Joannes Calvinus, Laurentius Valla, aliique tenent, per Adae peccatum extinctum omnino fuisse liberum arbitrium. Pelagiani contra, liberum arbitrium in Adae posteris æque sanum, validum, perfectum, atque felix esse affirmant. Quid sentiemus, ex sequentibus patebit.

PROPOSITIO I.

Admodum probabile est, primum Adae peccatum fuisse inordinatum ejus amicitiae amorem erga uxorem.

§. 529. Prob. Illud fuit primum Adae peccatum, quo ille primo ductus, Divinum praeceptum transgressus est; Atqui Adam amore uxoris suae ductus, pomum vetitum degustavit, et Dei praeceptum transgressus est; Ergo etc. Prob. min. Arguens Deus Adam de patrata culpa, et interogans quare pomum vetitum gustasset, respondit Adam (Genes. Cap. IV. v. 12.): *Mulier, quam dedisti mihi de ligno et comedi*; Ergo Adam etc. Adeoque etc. Deinde illud fuit primum Adae peccatum, ob quod ipse a Deo punitus fuit; Atqui de inordinato amore erga suam uxorem fuit a Deo punitus; dixit namque illi

Deus (Ibid. v. 17.): *Quia audisti vocem uxoris tuae, et comedisti etc.* Ergo etc.

§. 530. Prob. 2. Auctoritate S. Augustini, qui Adae primum peccatum inordinatum amicitiae amorem erga suam uxorem, pluribus in locis, fuisse docet. Sane in libro VI. de Civitate Dei (Cap. XI.): « Credendum est, inquit, illum virum suae faeminae, uni unum, hominem homini, conjugem conjugi, ad Dei legem transgrediendam, non tanquam verum loquenti credidisse seductum: sed sociali necessitudine paruisse »: et Libro XI. de Genesi ad literam (Cap. XLII.), ait: « Noluit Adam Evam contristare, quam credebat posse sine suo solatio contabescere, si ab ejus alienaretur animo, et omnino illa interire discordia: non quidem carnis victus concupiscentia, quam nondum in membris suis senserat, sed amicali quadam benevolentia, qua plerumque fit, ut offendatur Deus etc.

Dices. *Initium omnis peccati est superbia* (Ecclesiast. Cap. X. v. 15.); Ergo primum Adae peccatum fuit superbia; adeoque falsa propositio.

§. 531. R. Superbia non ideo initium omnis peccati dicitur, quia fuit primum Adae peccatum; sed aliis de caussis (Vide a Lapide in hunc loc.), praesertim, ut omne peccatum de ipsa, ait S. Fulgentius (Epist. III. ad Probam.), « tanquam de radice pullulare monstretur, quae multiplici modo miseris inferens mortem, publico certamine carnales dejicit: spirituales vero, si quos incautos invenerit, occultiore conflictu prosternit. Hinc scripsit S. Prosper (1): Nullum peccatum fieri potest, potuit, aut poterit sine superbia: siquidem nil aliud est omne peccatum nisi contemptus Dei »; et S. Gregorius Papa (Lib. III. Moralium Cap.

(1) *Lib. III. de vita conteplat. Cap. VI.*

» IV.): Vitiorum, ait, regina superbia, cum de-
» vinctum plane cor coeperit, illud septem principalibus vitiis, quasi quibusdam suis ducibus devastandum tradit »; Quod si ad peccatum primorum Parentum referre volumus dictum illud Ecclesiastici, adhuc etiam contra thesim non militat, quippe intelligi potest, et optime explicari de primo peccato Evae, quod revera superbia fuit; Hinc legitur de Eva (Eccl. Cap. XXV. v. 23.): *A muliere initium factum est peccati.*

Dices iterum. Multi Patres, atque Theologi docent, Adae peccatum fuisse superbiam; Ergo etc.

§. 532. R. Optime docent Patres, atque Theologi, Adae peccatum, ut sic acceptum, fuisse superbiam. Nam Adamus ne uxori, cum qua erat una caro, contradiceret, cibum vetitum comedit; sicque seipsum, et proprium commodum anteposuit Dei praecepto. Insuper peccavit inobediendo, et sic peccando apostatavit a Deo; peccatum ergo ejus superbia fuit quoque; nam apostatare a Deo initium superbiae est (Ecclesiast. Cap. X. v. 15.). Hic autem non disputatur, an Adam peccaverit quoque superbia; sed an primum ejus peccatum fuerit superbia: primum concedimus, secundum negamus; et jure, quia nullum ad superbiendum motivum Adae, quemadmodum Evæ, propositum fuit, quod ad esum pomi eum impelleret; et dato quod fuerit etiam illi propositum, nihil ei obfuisse dicendum est, quia constat, non fuisse sicut Eva in praevaricatione seductum (1); neque ita stupidus erat Adam, ut promissis a Serpente suæ uxori factis staret, sicque seduceretur; habebat namque ante oculos experimentum falsitatis illorum in eadem sua uxore, quae pomum comede-

(1) Epist. I. ad Timoth. Cap. II. v. 41.

rat, neque interim in Deam conversa erat, aut novam, atque aliquam Divinam scientiam adquisierat (1).

PROPOSITIO II.

Adæ peccatum in ejus posteros transfunditur.

§. 533. Prob. 1. ex Scriptura. Ac primo luculentissimum est illud Davidis testimonium (Psal. 50.): *In iniquitatibus conceptus sum, et in peccatis concepit me mater mea.* Deinde ad Romanos scribens Apostolus (Cap. III. v. 23.), ait: *omnes peccaverunt, et egent gloria Dei;* et ad Corinthios (Epist. II. Cap. V. 14.): *Si unus pro omnibus mortuus est, ergo omnes mortui sunt;* et ad Ephesios (Cap. II. v. 3.): *eramus natura filii iræ.* Ex quibus sic: Si Adæ peccatum in posteros non transfunderetur, nemo in peccatis conciperetur; non omnes peccarent, nec omnes per peccatum mortui dici possent; neque tandem nos essemus filii iræ natura, sed propria actuali culpa; Atqui oppositum ex adductis auctoritatibus constat; Ergo etc. Sed et expressis verbis veritatem hanc laudatus Apostolus docet, dicens (Ad Roman. Cap. V. v. 12.): *Per unum hominem peccatum intravit in Mundum, et per peccatum mors, et ita in omnes homines pertransiit, in quo omnes peccaverunt.* Quid clarius? Ergo etc.

§. 534. Prob. 2. ex Conciliis. Concilium Arausicanum II. hæc habet (Canone 2.): *Si quis soli Adæ prævaricationem suam, et non ejus propagini asserit nocuisse, anathema sit.* Concilium vero Tridentinum supradicto Canoni Arausicani Concilii subj-

(1) *Vid.* Dupasquier *Tomo III. Disp. IV. q. 2. Concl. 2.*

ungit (Sess. V. Can. 2.): *Si quis hoc Adae peccatum, quod origine unum est, et propagatione, non imitatione transfusum in omnibus inest, unicuique transfusum . . . . per aliud remedium asserit tolli, quam per meritum unius Salvatoris etc., anathema sit.*

Adversariorum Objectiones solvuntur.

§. 535. *Objiic.* 1. Peccatum est Legis prevaricatio ab homine voluntarie, et libere facta; supponit ergo hominem peccatorem existentem, atque voluntarie, et libere agentem; Atqui cum Adam peccavit, ejus posteri ne quidem existebant; Ergo erant ad peccandum incapaces; Adeoque etc.

§. 536. R. dist. 1. cons: peccatum, personale, et proprium, conc: originale, nego, et dist: min: subsm., non existebant physice, conc., moraliter in Adamo, nego min: subs., et utramque consm. Cum peccatum personale sit Legis prævaricatio; cumque Legis prævaricatio sit actio, proculdubio existere debet, qui peccat; operatio enim sequitur esse, ut loquuntur Philosophi, et qui non existit, nequit operari. Non sic autem cum agitur de peccato originali. Hoc namque cum contrahatur ex Adamo Protoparente, cum cujus voluntate, omnium suorum posterorum voluntates moraliter conjunctae erant, ut contrahatur, sufficit ut quis ex vitiata ejus propagine, per viam naturalem oriatur.

§. 537. *Contra.* Atqui, licet cum Adæ voluntate fuerint conjunctae omnium posterorum ipsisus voluntates, adhuc tamen originale peccatum non transfunditur in posteros; Ergo n. r. Prob: subsm. Apud Ezechielem legitur (Cap. XVIII. v. 20.): *Anima quæ peceaverit ipsa morietur: filius non portabit iniquitatem patris etc.* Ergo Adae peccatum in ejus posteros non transfunditur.

§. 538. R. Dist. sensum auctoritatis, Anima etc. iniquitatem personalem, conce: ans., iniquitatem communem, n. ans. et consm. Iniquitas Adae non fuit iniquitas mere personalis, ut ipsi soli noceret, sed fuit communis. Cum namque Adam a Deo constitutus fuerit omnium hominum caput, et humani generis procurator, sicut ex pacto Divino, in eo omnium hominum voluntates continebantur, ita ut omnes ejus posteri essent unum cum eo; ita peccante Adamo, omnes in eo peccaverunt.

§. 539. *Contra.* Atqui Adæ peccatum fuit personale, et non commune; Ergo n. r. Prob: subsm. Si Adæ peccatum, ob allatas rationes, fuisset communes, communia quoque fuissent omnia alia ejus peccata, quae propterea in posteros transfundi deberent; Atqui hoc est falsum; Ergo etc.

§. 540. R. neg: maj:, conc: min:, neg: consm. Ideo alia peccata Adami personalia, communia cum suis posteris non fuere, quia Deus in illo statu innocentiæ, in quo tunc erat Adam creatus, omnes posterorum voluntates in eo inclusit solum quoad observantiam, vel transgressionem primi præcepti de non gustando ligni vetiti fructu; Revera unicum fuit, et non multiplex præceptum, quod Deus Adæ observandum dedit: Dixit enim (Gen: Cap.: II. v. 16. et seq:): *Ex omni ligno etc.; de ligno autem scientiæ boni, et mali ne comedas, in quacunque enim die comederis ex eo, morte morieris;* hoc est: mortalis eris.

§. 541. *Objic.* II. Antequam Adam filios procrearet pœnituit de peccato suo, et de eo absolutus a Deo fuit; Ergo illius peccatum non transfunditur ad posteros.

§. 542. R. n. consm. Adae peccatum considerari potest, vel ut peccatum ipsius personale, vel ut commune omnibus quoque ipsius posteris. Porro Adæ peccatum consideratum ut ipsius personale peccatum, fuit ipsi a Deo misericorditer condonatum. Legitur quippe

(Sap: X. v. 2.): *Eduxit illum a delicto suo*. At inspectum ut peccatum commune ceteris suis posteris, condonatum utique non fuit. Potuit namque Adam unico peccato omnes suos posteros interimere; at non potuit eos sola pœnitentia sua vivificare. Ad hoc, opus erat mediatore infinitae virtutis, qui juxta Dei decretum, condignam daret satisfactionem. Quare licet Adam, quoad reatum culpæ mortalis, et pœnæ æternæ, condonationem de peccato suo obtinuit; nihilominus peccatum commune permansit ut erat, et in omnes, qui naturali generatione ab Adamo enascuntur, pertransiit.

§. 543. *Contra*. Atqui peccatum originale amplius non propagatur in Adæ posteros; Ergo n. r. Prob: subsm. Etsi omnes in Adam peccaverint, omnes tamen per Christum, et in Christo vivificati fuissent, mediante redemptione; Adeoque completa redemptione, peccatum originale non amplius propagatur; Atqui redemptio est expleta; Ergo etc.

§. 544. R. ad argum. Christus Dominus quantum ex se fuit, suo piissimo in Mundum adventu lavit nos a peccatis nostris in sanguine suo; nosque mundans ab omni iniquitate, filios Cælestis Patris constituit, illiusque Regni cohæredes; atque suâ morte mortem omnium superans, comparavit nobis vitam sempiternam; sed ut homines redemptionis ejus beneficio potiantur, necesse est, ut talis redemptio illis applicetur per media, et instrumenta ab ipsomet Jesu Christo statuta. Hinc ut homines ab originali peccato liberentur, requiritur, ut Christi redemptio eis applicetur per Baptismi Sacramentum.

§. 545. *Contra*. Ex concessis, in nova Lege, per Baptismum tollitur peccatum originale; Ergo ex concedendis peccatum originale non amplus in omnes homines transit. Prob: consa. Patres Christiani per susceptionem Baptismi, abluti sunt a sorde peccati originalis atque sanctificati sunt; Sed Patres sanctificati non generant nisi filios sanctificatos; Ergo etc.

§. 546. R. admissa maj; dist: min: Sed etc:, s. filios generarent ut renati conc:, si gignerent ut nati ex Adam; nego min:, et consm. Christiani esto per Baptismum sanctificentur, non tamen cessat in eis vitium in generatiòne filiorum, quod per Adae peccatum contraxerunt. « Propter hanc (nempe con-
» cupiscentiam) ergo fit (scribit S. Aug: Lib: I.
» de Concup. c. 18.) ut etiam de justis, et legi-
» timis nuptiis filiorum Dei, non filii Dei, sed filii
» seculi generentur, quia et ii, qui generant, si jam
» generati sunt, non ex hoc generant quod filii Dei
» sunt, sed ex hoc quia adhuc filii seculi. Dominica
» quippe sententia est (Lucae XX.) *Filii sæculi*
» *hujus generant, et generantur* ».

Dices. 1. Deus optime praesciebat omnes homines Adae peccato concipiendos esse infectos; Cur ergo illos creavit, et creat?

§. 547. R. cum S. Augustino (Lib: II. de Nup. et concup: Cap: 16. n. 31.): « Sicut enim de ip-
» sius diaboli malitia novit ille qui agat, et quod
» agit justum est et bonum, quamvis sit de quo a-
» git, injustus et malus: nec eum propterea creare
» noluit, quia malum futurum esse praescivit; ita
» de universo genere humano, quamvis nullus homi-
» num sine pecati sorde nascatur bonum ille qui
» summe bonus est operatur, alios faciens tanquam
» vasa misericordiae, quos gratia discernat ab eis,
» qui vasa sunt irae; alios tanquam vasa irae, ut
» notas faciat divinitas gloriae suae in vasa mise-
» ricordiae ».

§. 548. Dices 2. « Non peccat infans qui na-
» scitur, cum electionis non sit capax: non peccat
» qui generat . . . Non peccat qui condidit; Per
» quas ergo rimas, inter tot præsidia innocentiæ,
» peccatum fingis ingressum » ait Julianus?

§. 549. R. Per unum hominem peccatum intrasse in Mundum. Apposite S. Augustinus, *quid quæ-*

ris, inquit Juliano (Lib. 2. de Nuptiis et concup. Cap. 22.): *Quid quaeris latentem rimam, cum habeas apertissimam januam? Per unum hominem, ait Apostolus, peccatum in hunc Mundum intravit.*

PROPOSITIO III.

Peccatum originale per hoc in omnes posteros Adae traducitur, quod per naturalem viam generationis in ipso suae conceptionis momento fiunt homines, et filii naturales ejus tanquam capitis sui ex Dei decreto constituti, cum debito habendi justitiam originalem.

§. 550. Probatur 1. ex Concilio Tridentino (Sess. VI. Cap. III.), in quo habetur: *Sicut revera homines, nisi ex semine Adae propagati nascerentur non nascerentur injusti; cum ea propagatione per ipsum dum concipiuntur, propriam injustitiam contrahunt.* Ergo etc.

§. 551. Prob. 2. ex Augustino, qui (Lib. II. de Nuptiis, et Concup. Cap. V.) ait:, ideo illos, « idest homines, expertes non esse delicti, quia de » illa commixtione sunt nati, quae sine pudenda li» bidine non potest etiam, quod honestum est ope» rari. Dixit hoc etiam, subjungit idem S. Doctor, » beatissime memoriae Ambrosius Ecclesiae Medio» lanensis Episcopus, cum Christi carnalem nativi» tatem ideo diceret expertem delicti, quia conceptus » ejus utriusque sexus commixtione est expers: nul» lum autem hominum esse sine delicto, qui de illa » commixtione conceptus est »; Ergo peccatum originale etc.

CAPUT V.

Expenditur an BB. Virgo Maria Deipara expers fuerit a contagione peccati Originalis.

§. 552. Esto tam multa, tam magna, tamque sublimia et gloriosa, omni ævo, a Patribus et Theologis de intemerata Virgine Deipara dicta, conscriptaque sint, ut nihil aliud dicendum, aut scribendum superesse videatur, omnino tamen fatendum est, ipsam esse omni haude superiorem. Hinc S. Bernardus (Sup. Missus) « Licet, ait, de Maria loqui » gestiunt omnes, tamen quidquid dicitur de indi- » cibili, eo ipso, quod dici potuit minus gratum » est, minus placet, minus, minus acceptatur, quae » non poterit lingua, etiam Angelica ita sit, di- » gnis extollere laudibus Virginem Matrem, non » cujuscumque, sed Dei ». At quid mirum! Si Ma- » ria Virgo ex hoc, quod est Mater Dei, ex Ange- » lico Doctore (I. P. q: 23.) habet dignitatem » quandam infinitam, et ex hac parte non potest » aliquid fieri melius ea? Quid mirum! si ipsa superior existit omnibus Angelis, et hominibus in privilegiis gratiae, et in splendore virtutum?

Iam vero inter alia privilegia Mariae concessa, illud sane est, et non vulgare, quod a contractione peccati originalis libera esset, atque immunis. Quod an revera obtinuerit.

Variæ sunt Auctorum sententiæ.

§. 553. Fuerunt aliqui, qui licet doctrina, pietateque insignes, necnon de Fide, atque *Catholica* Ecclesia satis benemeriti essent, tamen animo recogitantes illud Apostoli (Rom. V.): *Omnes in Adam peccaverunt*; *et sicut per unius delictum in omnes*

homines in condemnationem, *sic et per unius justitiam in omnes homines in justificationem vitæ*, (Rom: V.) concludebant, etiam BB. Virginem utpote Adae filiam, et Redemptore indigentem, peccatum originale in sua conceptione contraxisse. Alii e contra, altissimam illius dignitatem ante oculos habentes, illam in primo instanti suae conceptionis, singulari privilegio, fuisse ab originali peccato praeservatam defendunt. Alii mediam tenentes viam, asserunt illam, statim post animationem fuisse in utero sanctificatam. Alii tandem pro nimia devotione, qua erga tam Virginem feruntur, ad extrema deflectentes, aggressi sunt sustinere, BB. Virginem non solum ex privilegio non contraxisse in sua conceptione peccatum originale, sed ne quidem debitum habuisse illud contrahendi. Quid nos, ex sequentibus mox patebit. Interim pro majori dicendorum claritate sit.

§. 554. *Animad.* Conceptio, quod ad rem attinet presentem, duplex est; una scilicet, quae dicitur *seminis*, altera, quae dicitur *hominis*; et prima quidem est *incompleta*, secunda vero *completa*. Conceptio seminis est corpusculi in utero mulieris efformatio, quae fit per copulam carnalem parentum. Conceptio autem hominis est illa, quae a solo Deo efficitur; tunc nempe, cum corpusculo in matris utero perfecte organizato, et ad vitae munia obeunda idoneo, post quadraginta dies, si est mas, octoginta si est femina, Deus creat animam, atque illi corpusculo infundit, atque copulatur; ex qua animae, et corporis conjunctione homo fit in animam viventem. Nos hic de BB. Virginis Mariae conceptione disserentes, non de prima, sed de secunda; de conceptione scilicet hominis loquimur. His positis sit.

PROPOSITIO

BB. Virgo Maria, singulari Dei privilegio, ex prævisis vitæ, passionis, et mortis filii tui Jesu Christo meritis, in ipso primo instanti conceptionis suæ, a peccato originali preseverata fuit, et gratia plena.

§. 555. Prob: multiplici argumentorum genere; ac primo ex Sacra Scriptura. In Genesi (cap: III. v. 15.) loquens Deus ad sepentem, sive ad Diabolum, qui per serpentem seduxerat Evam, minitansque illi, per manus alterius feminæ, alia ab Eva, praedixit illum fore vincendum, atque penitus conterendum; ait siquidem: *Inimicitias ponam inter te, et mulierem, inter semen tuum et semen illius, ipsa conteret caput tuum, et tu insidiaberis calcaneo ejus*. At quaenam est ista mulier tam fortis, tamque gratia Dei munita et roborata, quae valeat vincere Diabolum, et serpentinum caput Luciferi conterere? Luciferi, inquam, qui mulierem primam, dono originalis justitiae munitam, et ornatam, seduxerat, et in profundum malorum abyssum, inobedientiæ peccato dejecerat? non alia certe fuit quam BB. Virgo Maria. Cum namque ait S. Augustinus (apud Dupasquier T. III. disp. V. q. IV.), « subjectio peccati originalis » caput sit Diaboli, tale caput Maria contrivit; » quia nulla peccati subjectio ingressum habuit in » animam Virginis, et ideo ab omni macula im- » munis fuit ». Deinde in Canticis, juxta Patrum explicationes, Sponsus Divinus ita de BB. Virgine loquitur: (Cap: 2. v. 2.): *Sicut Lilium inter Spinas, sic amica mea inter Filias*; et (Cap. IV. v. 7.): *Tota pulchra es amica mea, et macula non est in te*; sicuti etiam: *unica est columba mea: perfecta mea*; atque sæpius vocat eam *Sororem*, *Sponsam*, *Amicam*, *Formosam*, *Speciosam*, *Suavem*, *Decoram*,

Pulchram, *Dilectam*, *Electam*, *Perfectam*, *Immaculatam*, *Pulcherrimam*, *Charissimam*, *Beatissimam*. Ex quibus sic. Si Maria fuisset, vel per instans culpa originali infecta, fuisset aliquando defornis, odibilis, imperfecta, Deo inimica, immunda, infelicissima; Atqui ex dictis talis non fuit; Ergo etc. Ulterius in Libro Sapientiae (Cap. IV. v. 4.) scriptum est: *In malevolam animam non introibit Sapientia, nec habitabit in corpore subdito peccatis;* Atqui Verbum Divinum vera Sapientia, non solum in Mariam Virginem intravit, sed ex illius carne corpus suum efformavit, atque caro factum, per novem menses in ejus utero peramanter habitavit, donec in lucem fuit editus; Ergo BB. Virginis anima numquam fuit malevola; Ergo corpus ejus numquam fuit subditum peccatis. Tandem apud S. Lucam (Cap. I. v. 28.) Archangelus Gabriel sic eam alloquitur: *Ave gratia plena*: *Dominus tecum*: *benedicta tu in mulieribus*. Si ergo Maria gratia plena, profecto longe semper ab ea fuit omne peccatum. Si Dominus fuit semper cum illa, certe Satan longe ab illa profugit. Si benedicta fuit in mulieribus, proculdubio numquam fuit cum mulieribus maledicta; et per consequens ab Evæ maledictione omnino immunis.

§. 556. Prob. II. ex Conciliis. In Sexta Synodo Generali (Act. II.) approbata fuit Epistola Sophronii, in qua Maria dicitur *Sancta*, *et ab omni contagione liberata et corporis*, *et animae*, *et intellectus*. In septima Synodo (Act. III.), vocatur *Immaculata*, *et omni sensibili*, *et intellectuali natura purior*. In Octava Synodo (Act. III.) similiter dicitur: *Sancta et immaculata Domina nostra*. In Concilio Lateranensi sub Martino I. (Can. 3.) similiter appellatur: *Sancta*, *et immaculata Maria*. In Concilio Forrisiuliensi sub Adriano I. (in Symb: fidei) dicitur Maria: *Virgo Immaculata*. Concilium Francofordiense sub eodem Adriano I. (in Epist:

ad Hisp: Praesules), vocat Mariam: *Immaculatam prorsusque puram.* Concilium Basileense sub Eugenio IV. (Sess: 36.) per Cardinalem Arelatensem conquisitis undique libris, scriptis, actis, statutis, aliisque documentis de Conceptione Virginis Mariae pertractantibus, iisque mature discussis, in favorem piae nostrae sententiae Decretum edidit, quod licet Fidei dogma non constituit, negari non potest magnæ auctoritatis esse. Tandem. Tridentina Synodus (Sess: V.), postquam definivit omnes in Adam peccavisse, juxta illud Apostoli: *Per unum hominem peccatum intravit in Mundum etc*: subjunxit: *Declarat S. Synodus non esse suae intentionis comprehendere hoc decreto, ubi de peccato originali agitur, Beatam, et Immaculatam Virginem Dei Genitricem, sed observandas Constitutiones Sixti IV. etc*: Ergo etc.

§. 557. Prob. III. Summorum Pontificum Auctoritate. Sixtus IV. (in Extravag: Cum præexcelsa) approbavit Officium, et Missam Conceptionis, in die festus et Octavae ejusdem Indulgentias recitantibus concedendo. Innocentius VIII. concessit Reginæ Catholicæ ut Monasterium Sanctimonialium aedificaret *sub invocatione Conceptionis.* Julius II. Diplomate. *Ad statum.* Regulam constituit observandam a Monialibus sub invocatione *Conceptionis.* Idipsum fecere alii Pontifices. Sixtus V. in Bulla: *Ineffabilia*, vocat B. Virginis conceptionem, *Conceptionem purissimam*: jubetque ipsius Festum tota Ecclesia celebrari sub ritu duplicis majoris. Alexander VII. suorum praedecessorum pro immaculata Virginis Conceptione, Decretis inhaerendo, assereruit: *Animam B. Virginis in sui creatione, et in corporis infusione a peccato originali præservatam fuisse*, Clemens XI. Anno 1708. constituit Festum Conceptionis de praecepto in universa Ecclesia celebrandum esse. Atque ut alios taceamus Pius VII. concessit ut in Praefatione Missae Conceptionis BB. Deiparae

caneretur: *Et te in Conceptione immaculata B. Mariæ Virginis collaudare*; Ergo etc.

§. 558. Prob: IV. Sanctorum Patrum, atque Doctorum traditione. S. Jacobus Apostolus in sua Liturgia inquit: *Commemorantes sanctissimam, et immaculatam, gloriosissimam dominam nostram Matrem Dei, et semper Virginem Mariam.* S. Andreas Apostolus, ut refert Abdia (in ejus Vita Lib. IV.) ait: *Sicut primus Adam formatus fuit ex Terra antequam esset maledicta, ita secundus Adam formatus est ex terra Virginea numquam maledicta.* Origenes (Hom: in Diver:): de Maria dicit: *Mater immaculata, Mater incorrupta, Mater intacta . . . quæ neque persuasione serpentis decepta est, neque ejus afflatibus venenonis infecta.* Basilius magnus in sua Liturgia Mariam appellat: *Sanctissimam, et immaculatam;* et Chrysostomus: *semper beatissimam, et penitus immaculatam.* Cyrillus Alexandrinus (Serm: Contra Nest:): *Temerarium est*, inquit, *ponere in Maria Virgine propter Filium culpam, aut peccatum aliquod.* Andreas Cretensis (In Can: Eccles: post Oden 3.) ait: *Anna sterilis intemeratam, castamque puellam concepit. Hanc hodie, ceu solam Immaculatissimam omnes nos Beatam dicamus: ejus nos Sanctam Conceptionem colamus*, S. Cyprianus (Lib: de Card: Christi Operibus) de Maria Virgine scribit: *Spiritu Sancto obumbrante incendium originale extinctum est: nec sustinebat justitia, ut vas illud electionis communibus lacesseretur injuriis, quoniam plurimum a ceteris differens, natura communicabat non culpa.* Ambrosius (Serm. 22. in Psal: 118.) ait: *Virgo per gratiam ab omni integra labe peccati.* Hieronymus (In Psal: 77.) scribit: *Nubes illa (idest Maria), nunquam fuit in tenebris, sed semper in luce.* S. Augustinus (Lib: de Nat: et Grat: Cap: 36.) inquit: *Excepta itaque Sancta Virgine Maria, de qua, propter honorem Domini*

nullam prorsus, cum de peccatis agitur, habere volo quaestionem; inde enim scimus, quod plus gratiæ collatum ei fuerit ad vincendum omni ex parte peccatum, quae concipere, ac parere meruit eum, quem constat, nullum habuisse peccatum. Ildelphonsus Archiepiscopus Toletanus (Lib. de Parturit: Virg.), scribit: *Constat illam ab omni peccato originale fuisse immunem, per quam non solum maledictio Matris Evæ soluta est, verum etiam et benedictio omnibus condonatur.* Ita similiter loquuntur innumeri alii Sancti Patres, et Doctores, quos citant, et sequuntur Theologi piae sententiae defensores; sed nos, brevitatis causa, relinquimus.

§. 559. Prob. V. ratione Theologica. Deus inter omnes mulieres amavit Virginem Mariam, eamque propterea prae ceteris aliis creaturis intellectualibus, quae in Caelo sunt, atque in Terra, singularibus donis, gratiae celestis ditavit, ita ut nullam liceat invenire, quae illi audeat comparari: hoc solum dicere sufficit, quod eam fecerit veram Matrem suam; ergo illi non negavit, quod aliis inferioribus concessit; si ergo in primordio creationis innocentiam, et gratiam Angelis, et Protoparentibus contulit, potiori ratione illam Mariae Matri suae concessit. Quid? qui honorem Parentibus aliis praecipit, ita ingratus erit Matri suae, ut per originale peccatum fieri permitteret Diaboli mancipium, illius veneno infectam, deformem, abominandam? Ille qui est Sol justitiae, et speculum sine macula, in tenebris, et non in Sole posuit tabernaculum suum? Ille qui talem sibi elegit Matrem, ut peccatum tolleret, et peccati auctorem e Mundo expelleret, et mortem superaret in aeternum, ab ipsa peccatum tollere nescivit, illamque e manibus diaboli eripere? Deus efformando Mariam, ut esset Mater sua, non est dubitandum, ait S. Thomas, quin per suam gratiam, vere ad hoc idoneam reddiderit, ex quo recte concludunt Theo-

logi, Mariam, ne quidem venialiter aliquando peccasse, alias non fuisset idonea Mater Dei. Si ergo per peccatum veniale non fuisset Maria idonea Mater, Dei quomodo idonea fuisset cum peccato mortali originali? Decuit omnino, decuit, Virginem ea puritate nitere, qua major sub Deo nequit intelligi; ac proinde Deus qui inter omnes creaturas sibi elegit, atque praeelegit in Matrem Mariam, si primis parentibus, et Angelis donum justitiae originalis concessit, multo magis concessit Mariae, ut a primo suæ conceptionis instanti ab omni macula peccati originalis immunis esset, et libera, ut sicut Sanctos ceteros superat Dignitate, ita Angelos ipsos superet puritate.

Adversariorum argumenta solvuntur.

§. 560. *Objic.* 1. B. Virgo Maria fuit vera filia Adæ, et per naturalem propagationem, ut omnes alii filii Adae in matris utero concepta; Ergo, sicut et ceteri, peccatum originale contraxit; Adeoque etc.

§. 561. R. dist: ans: si loquimur de conceptione seminis, et incompleta, concedo; De conceptione hominis et completa, nego ans; Ergo etc., n. consm. Quidquid sit de illorum Theologorum sententia, qui BB. Virginem a *debito* eximunt contrahendi peccatum originale; nos dicimus, illam fuisse quidem per naturalem generationem in matris utero conceptam illa nempe conceptione, quae seminis dicitur, atque hinc in Adam et ipsam peccasse; at constanter negamus, ipsam in conceptione, quae hominis dicitur, de facto peccatum originale contraxisse. Nam Sapientissimus Deus, qui talem Virginem sibi elegerat in Matrem, potuit, scivit, voluit illam a peccato originali praeservare, praeservavitque reipsa. Et sane decens omnino erat quod illa, quae digna facta est ut esset habitaculum Filii Dei, Templum,

et Spiritus Sancti sacrarium, non solum ab omni peccati labe esset immunis, sed et gratia superplena. Quare Maria, ut filia Adae peccatum originale in eo commisit; verum ut Æterni Patris filia, et Dei Mater, peccatum originale non contraxit.

§. 562. *Contra*. Atqui Maria, sicut omnes alii homines, non solum in Adam peccavit, sed Adæ originale peccatum contraxit; Ergo n. r. Prob: subsm. Peccatum originale, teste Apostolo Paulo (Rom: V.); *Ad omnes homines pertransiit;* Ergo etiam ad BB. Virginem; Adeoque etc.

§. 563. R. dist: ans. praeterquam ad BB. Virginem, conc:, secus, n. ans. Ergo etc:, n. consm. Ex quo in omnes homines peccatum originale ab Apostolo transire dicatur, perperam deducunt Adversarii, etiam in BB. Virginem Mariam pertransisse. Notum est namque, in Sacra Scriptura, illud *Omnes*, non semper significare omnes omnino, nullo prorsus excepto, sed quandoque *multos*. Ita Genesis (Cap. VI. v. 2.) legitur: *Omnis caro corruperat viam suam*, et tamen Noe ibi erat cum sua familia, qui inventus est justus. In Psalmis pariter ait David (Psal. 13. v. 3.): *Omnes declinaverunt, simul inutiles facti sunt, non est qui faciat bonum, non est usque ad unum;* et tamen multi tunc erant justi ante Dominum in Israel; pariter dicere possumus, BB. Virginem, singulari Dei privilegio, fuisse a contagione peccati originalis præservatam, licet in Scripturis dicatur: *Omnes in Adam peccaverunt. Omnes peccaverunt et egent gloria Dei.*

§. 564. *Contra*. Atqui nullus omnino excipitur a generali lege transfusionis peccati originalis; Ergo n. r. Prob: subsm. Ubi lex non distinguit neque nos distinguere debemus; Sed lex generalis transfusionis peccati originalis nullam facit distinctionem, aut exceptionem; Ergo etc.

§. 565. R. dist: maj: Quando non adest justa

rationabilis, atque urgens caussa distinguendi, conc: secus n. maj; et dist: min: Sed etc: et aliunde adest justa caussa distinguendi, conc:, secus n. min, et consm. Lex quidem cum sit preceptum, pro bono comunitatis a legitimo Principe latum, cui obsequium et obedientia ex conscientia debetur, profecto sine distinctione observari debet; neque privatis personis licet ab ea facere exceptiones. At si rationabilis et urgens causa se offert, in Lege distinguendi, et ab ea exceptiones facere; veluti si rigorosa, et stricta illius observantia in damnum commune, vel in ruinam, et dedecus ipsius Principis legislatoris vergeret, tunc in ea nos distinguere posse compertum est. Sane universalis erat Lex mortis in Hebraeos ab Assuero Principe lata, atque hinc Esther quoque Reginam, quia hebræam, complecti videbatur, jamque se Esther in illa inclusam querebatur. Non tamen ita fuit; Unde illam præ timore concepto semianimem ad pedes suos collapsam videns, Assuerus, sic eam affabiliter est alloquutus (Esther Cap: XV. v. 12. 13.): *Quid habes Esther . . . . Non morieris: non enim pro te, sed pro omnibus hæc lex constituta fuit.* Similiter in casu nostro dicere possumus. Universalis est, omnibus Adæ filiis communis est lex transfusionis peccati originalis; verumtamen justa caussa est ab illa excipiendi BB. Virginem, alias lex in dedecus Dei legislatoris cederet, qui voluisset creaturam tam praexcelsam, a se specialiter dilectam, tamque privilegiis gratiæ decoratam ut digna, et idonea foret Mater sua, peccato originali ita turpiter maculari.

§. 566. *Objic.* 2. Si BB. Virgo fuisset in sua Conceptione a peccato originali præservata, non indiguisset Redemptore; Atqui hoc esse nequit; Ergo a peccato originali immunis non fuit.

§. 567. R. dist: maj: si ipsa a peccato originali fuisset praeservata alio medio, quam per merita praevisa mortis Filii sui; conc., secus n. maj: et

admissa min., n. consm. Cum nos dicimus BB. Mariam fuisse in sua Conceptione ab originali peccato præservatam, non aliter quam per praevisa merita mortis Christi praeservatam dicimus. Scimus enim, non esse posse in aliquo alio salus, praeter quam in Christo Jesu, qui est propitiatio pro peccatis totius Mundi. Hinc S. Bernardinus Senensis (Tomo II. Serm: 61. Art: 3. c. 37.) ait: « B. Virgo fuit Primogenita » Redemptoris filii sui Jesu, et plus pro redimenda » ipsa venit, quam pro omni alia creatura ».

§. 568. *Contra*. Atqui si peccatum originale BB. Virgo non contraxit, nec etiam fuit a Jesu Christo redempta; Ergo n. r. Prob: subsm. Ut quis redemptus dicatur, oportet ut aliquando ceciderit in peccati servitutem, et culpæ dolores, et plagas expertus fuerit: Nam ait de se ipsemet Redemptor Christus Dominus (Luc: V. v. 32.): *Non veni vocare justos, sed peccatores*; et (Matt. XV. v. 24.): *Non sum missus, nisi ad oves quæ perierunt domus Israel* Ergo etc.

§. 569. R. dist: ans. Si loquamur de redemptione *curativa*, conc: *præservativa*; nego antec:; Ergo etc:, n. consm. Duplex redemptio a Theologis distinguitur; una nempe quae dicitur *curativa*, et altera, quae vocatur *præservativa*; prima est illa, qua sublevantur, et redimuntur qui jam in malis lapsi sunt, et in illis reperiuntur; secunda est illa qua, qui jam in malis prolapsuri sunt, praeservantur ne cadant, atque haec nobilior est illa, cum multo melius sit aliquem praeservare ne cadat, quam postquam viderit lapsum sublevare. Audiatur S. Augustinus, qui hanc redemptionem tali illustrat exemplo (In Psal: 85.): « Si quis habens causam molestam mittendus erat in carcerem, venit alius, defendit eum » gratias agens, quid dicit? Eruisti animam meam » de carcere ». Sed et hac redemptione Angelos redemptos est, docet S. Bernardus (Ser: 21. in cant.)

ubi ait « Angelos fuisse redemptos sanguine Christi, » non a peccato quod commiserunt, sed ab eo quod » possent committere ». Itaque omnes Filii Adam, qui originale peccatum contraxerunt, redemptione curativa redempti sunt; BB. vero Virgo Deipara fuit redemptione preservativa, redempta, quatenus nempe ut Adae filia, poterat cadere, sed ex prævisa morte Filii sui Jesu praeservata fuit ne caderet, sicuti de facto non cecidit; Unde et lætabunda, Deo gratias agens de tam inextimabili beneficio cum Regio Psalte canit (Psal. 114. v. 8.): *Eripuit animam meam de morte, oculos meos a lacrymis, pedes meos a lapsu.*

§. 570. *Contra.* Atqui nec etiam redemptione praeservativa, BB. Virgo a peccato originali fuit in sua Conceptione immunis; Ergo n. r. Prob. sub. Si BB. Virgo ab instanti primo suae Conceptionis fuisset a peccato originali praeservata, non indiguisset Sacramento Baptismi; Atqui baptizata fuit; Ergo etc.

§. 571. R. BB. Virgo Maria non suscepit Baptismum, ut a peccato originali mundaretur, sed pluribus aliis de caussis, quas Theologi enumerant atque explicant; praesertim ut Legi a filio suo Jesu latæ de suscipiendo Baptismo, obtemperaret, atque praeclarum exemplum aliis praeberet humilitatis et obedientiae. Sicut namque, quia nulla sorde in partu inquinata, ob purissimum, et immaculatum sive conceptum, sive partum Fili sui, Legi purificationis subjecta non erat; tamen Legi illi se subjicere voluit; ita licet sine peccato Originali concepta., Baptismi Sacramentum suscipere voluit. Adeoque etc.

§. 572. Quæres. *An per Adæ peccatum extinctum fuerit liberum hominis arbitrium.*

§. 573. R. Neg: Nam: Liberum arbitrium est potentia vel facultas, qua homo, positis omnibus ad agendum requisitis, potest agere et non agere, agere hoc modo potius quam alio; Atqui in praesenti

statu naturae lapsae hanc facultatem habet homo; Ergo etc. Prob. min.: In Sacra Scriptura dat Deus hominibus facultatem eligendi quod placet, sive bonum, sive malum, sive vitam, sive mortem: *Optio vobis datur*, legitur apud Josue (Cap. XXIV. v. 15.): *eligite hodie quod placet; Testes invoco Cælum et terram*, ajebat Moyses filiis Israel (Deuteronom. Cap. XXX. v. 19.): *quod proposuerim vobis vitam et mortem, benedictionem, et maledictionem*. Elige ergo etc.; et in Libro Numerorum idem Moyses inquit (Cap. XXX. v. 14.): *In arbitrio viri erit ut faciat, sive non faciat.* Quare laudatur in Ecclesiastico (Cap. XXXI. v. 10.) vir bonus, ex quo *potuit transgredi, et non est transgressus, facere mala, et non fecit*. Ergo etc.

§. 574. Prob. 2. ex Concilio Tridentino, in quo ita statutum legitur (Sess. VI. Canone V.): *Si quis liberum hominis arbitrium post Adæ peccatum amissum, et extinctum esse dixerit, aut rem esse de solo titulo, imo titulum sine re, figmentum denique a Satana invectum in Ecclesiam, anathema sit.*

Dices 1. Apostolus ait (Epist. I. ad Corinth. Cap. XII. v. 16.): *Deus operatur omnia in omnibus;* Ergo liberum arbitrium non habemus.

§. 575. R. Dist. ans.: Deus etc.: sine cooperatione nostri liberi arbitrii, n. ans., secus conc.; ergo etc. n. consm. Deus utique omnia in nobis operatur, quia nihil, quod sit aeternae vitae meritorium, sine ipso nedum efficere, sed nec cogitare quidem possumus. At non solus operatur, sed cum nostra libera cooperatione. Quare bona opera, et nostra dicuntur, et Dei; Dei, quia Deus operatur omnia in omnibus nostra vero, quia Deo cooperamur; necnon vita aeterna, quae bona opera consequitur, gratia Dei dicitur a citato Apostolo (Roman. VI. v. 23.), et simul corona justitiae (Epist. II. ad Timoth. Cap. IV. v. 8.); gratia utique Dei, quia sine

Dei adjutorio non comparatur; corona vero justitiae, quia est merces quam justus judex Deus reddit amicis suis ob labores liberae cooperationis auxiliis gratiae suae.

Dices 2. S. Augustinus aperte testatur, liberum arbitrium, Adae peccato, in homine penitus fuisse extinctum; ait siquidem (In Enchiridio Cap. XXX.) *Libero arbitrio male utens homo et se perdidit, et ipsum*; Ergo etc.

§. 576. R. S. Augustinus non loquitur ibi de libero arbitrio quoad vires naturales, sed quoad supernaturales, nec dicere vult, liberum hominis arbitrium, per culpam fuisse penitus extinctum, sed non esse nunc in hominibus quale fuit in Adamo innocente. Audiatur S. Doctor, qui clare seipsum explicat dicens (Lib. I. contra duas Epist. Pelag. Cap. 2.): « Quis nostrum dicat, quod primi hominis » peccato perierit liberum arbitrium de humano genere? Libertas quidem perit per peccatum, sed » illa quae in Paradiso fuit habendi plenam cum » immortalitate justitiam; propter quod natura hu» mana, divina indiget gratia, dicente Domino: si » vos filius liberaverit, tunc vere liberi eritis: uti» que liberi ad bene justeque vivendum. Nam libe» rum arbitrium usque adeo in peccatore non peri» it, ut per illud peccent, maxime omnes, qui cum » delectatione peccant. Quare idem Augustinus pluries dixit, hominis arbitrium, per peccatum fuisse infirmatum, ac sauciatum, non vero totum amissum, penitusque deletum. Quid clarius?

Quaeres. *Qua ratione vires arbitrii, et cognitiones attenuatae sint?*

§. 577. R. Hac ratione per culpam Adae originariam vires arbitrii attenuatae fuerunt, quia amiserunt illa bona, quibus in statu innocentiae primus homo praeditus erat. Adam namque tria supernaturalia dona habebat; gratiam nempe, et charitatem,

justitiam originalem, et corporis incorruptionem, seu immortalitatem. Per gratiam et charitatem, homo reddebatur justus, et Deo gratus; per justitiam originalem carnis, et appetitus sensitivi rebellio domabatur, et uterque rectæ rationi subjiciebatur; per immortalitatem, et incorruptionem excludebantur ab eo omnis læsio, et corporis defatigatio. Porro hæc dona peccando perdidit Adam; quare non solum non potuit opera supernaturalia, et æternæ vitæ meritoria præstare, ad quae requiritur gratia, sed nec etiam tam facile et commode ea exercere, quæ moralia sunt et civilia, ad quæ gratia non requiritur. Deperdita enim justitia originali lex carnis cœpit vigere in homine, legi mentis contraria; concupiscentia carnis adversus spiritum, et spiritus adversus carnem, qua fit ut non quod bonum vult, agat; sed quod aversatur malum, faciat, dominari cœpit: deperdita immortalitate, atque incorruptione cœperunt organa corporis destrui, atque fatigari (1).

Quaeres. *In quo consistat originale peccatum?*

§. 578. R. Originali peccato *nihil est*, ajebat Augustinus (Libro de Moribus Ecclesiæ Cap. XVI.) *ad prædicandum notius, nihil ad intelligendum secretius*; Quare non una est de ejus natura Eruditorum sententia. Lutherani, et Calvinistae, Peccatum originale, nihil aliud formaliter esse dicebant, quam concupiscentiam habitualem, seu peccati fomitem. At Fides oppositum docet, et jure quidem. Nam si hoc est, cum per Sacramentum Baptismi peccatum originale tollatur, tolleretur utique concupiscentia, et fomes peccati; Atqui post Baptismum remanet; Ergo etc. Volunt alii cum Gregorio Ariminensi; Gabriele et Gulielmo Parisiensi, carnem Adæ peccato infectam

(1) Vid. Bellarminus Tomo IV. Cont. III. Generali de Reparatione Gratiae parte I.

inficere et ipsam animam; At si hoc esset, homo post Baptismum in anima, aut in corpore experiretur aliquam qualitatem, quam antea non experiebatur; hoc autem est falsum; Ergo etc. Contendunt alii cum pluribus Thomistis, peccatum originale consistere in privatione justitiae originalis; At subtractio justitiae originalis poena est peccati originalis, et illius effectus, non vero peccatum ipsum originale, docente D. Thoma (1. 2. q. 48. art. 5.): *subtractio originalis justitiæ habet rationem pænæ.* Alii alia excogitarunt ut hanc solverent quaestionem; Sed cui potius adhærendum sit, nos nescire ingenue fatemur. Nihilominus:

§. 579. R. Peccatum originale formaliter non est aliud quam ipsemet reatus peccati Adae manens in posteris habitualiter, quoad effectum constituendi eos filios irae, perinde ac si actu peccatum illud committerent. Nam peccatum originale est illud ipsum, quod per Adam est introductum in Mundum, dicente Apostolo (Roman. Cap. V. v. 12.): *Per unum hominem peccatum intravit in Mundum*; Atqui non aliud peccatum Adam in Mundum invexit, quam peccatum suum, adfirmante eodem Paulo, quod in Adam omnes peccaverunt; Ergo peccatum originale est ipsemet reatus peccati Adae, non quidem actualis, sed manens in posteris habitualiter etc. (1). Quod et Tridentina Synodus haud obscure confirmare videtur verbis illis (Sess. V. Can. V.): *Si quis per Jesu Christi Domini nostri gratiam, quæ in Baptismate confertur, reatum originalis peccati remitti negat; aut etiam asserit, non tolli totum id quod verum et propriam peccati rationem habet, sed illud dicit tantum radi, aut non imputari, anathema sit.*

---

(1) Vid. Dupasquier. Tomo III. Disp. V. Concl. 3. Henno Tract. I. de Peccatis actual. Disp. III. q. 2.

Sane si in Baptismate remittitur reatus peccati originalis, si tollitur omne id quod habet rationem veram, et propriam peccati, proculdubio peccatum originale formaliter etc.

Quæres. *Utrum homo condi a Deo potuerit qualis nunc nascitur, concupiscentiæ, ad bene agendum difficultati, et ignorantiæ subjectus!*

§. 580. R. Adfirmative. Nam quod in primo homine non fuerit concupiscentia, deordinatio nempe illa in membris, qua fit ut caro adversus spiritum pugnet, et spiritus adversus carnem, sed caro perfecte spiritui subjiciebatur, et spiritus Deo; quod in eo ad bene agendum difficultas non fuerit, quemadmodum est in nobis, id ei praestabatur a justitia originali (§. 522.); Quod tandem ei scientia fuerit, id fuit ex conditoris largitate, qui (Ecclesiastici Cap. XVI. v. 6.) *creavit illis*, nempe primis parentibus, *scientiam spiritus, et sensu implevit cor illorum*; Jam vero tam justitia originalis, quam scientia infusa dona Dei gratuita fuerunt, et non naturae humanae debita (§. 527.); Ergo etc. Id aperte docet D. Thomas dicens (Quod. I. a 8. 2. Dist. 31. q. v. 1.): « Poterat Deus a principio quando hominem » condidit, etiam alium hominem de limo terrae for» mare, quem in conditione suae naturae relinque» ret; ut scilicet mortalis, et passibilis esset; et pu» gnam concupiscentiæ ad rationem sentiens, in quo » nihil humanae naturae derogatur, quia hoc in » principiis naturae consequitur. Quare S. Augusti» nus (Lib. I. contra Julian. Cap. 17.): Gratia » Dei magna erat in Adamo, inquit; ubi terrenum » et animale corpus bestiale, libidinem, effraenem sci» licet concupiscentiam non habebat ». Hinc inter alias propositiones Michaelis Baji; quae ab Ecclesia proscriptae fuerunt, legitur sequens, quae est 55. *Deus non potuisset ab initio talem creare hominem qualis nunc nascitur.*

Quaeres. *Num possibilis saltem sit status puræ naturæ, in quo scilicet concupiscentia desit, nec sint humanae mentis vires attenuatæ?*

§. 581. R. Impossibile non fuit status puræ naturæ, at non extitit unquam, neque stante actuali rerum ordine, de ordinaria Dei potentia, poterit esse aliquando. Nam si Deus poterat hominem condere qualis nunc nascitur (§. 580.), a fortiori hominem condere poterat absque concupiscentia, et viribus integris, quod et probatum est illis, qui volunt Adam in gratia santificante creatum non fuisse. Hic autem status nec extitit, nec erit aliquando extiturus. Non extitit, quia Adam in gratia sanctificante conditus fuit (§. 526.), non erit, quia per legem transfusionis peccati originalis, nullus de filiis Adæ, sine speciali Dei privilegio, et potentia extraordinaria, a peccato originali immunis nascitur, et consequenter omnes cum concupiscentia, et viribus attenuatis nasci debent (1).

Quaeres. *Quænam sint pœnæ, quæ ex peccato originali, in Protoparentes, suosque posteros derivarunt?*

§. 582. R. Talia, atque tanta sunt mala, quæ in paenam peccati originalis in Protoparentes, suosque posteros derivarunt, ut non solum lingua exprimere non possumus, sed nec etiam mente complecti. Anima per peccatum a Deo separata, atque hinc spiritualiter mortua, multum in suis facultatibus atque potentiis sauciata fuit. Hinc ignorantia, in qua in-

---

(1) De Opere sex dierum, et de primorum Parentum formatione, dotibus et miseriis fusius agunt Dionisius Petavius Tomo III. Theologic. Dogmat. Robertus Bellarminus Tomo II. Controvers. Franciscus Suarez Tomo II. Summae Theolog. P. II. Frassen Tomo IV. edit. in 4. Berti Lib. I. X. XII.

fantes nascuntur; hinc labor, difficultas, atque taedium in scientiis comparandis; hinc idearum confusio, judiciorum incoherentia, errores, falsitates, dubietas, incertitudo; Hinc memoriæ labilitas, memoria retinendi difficultas, res memoriae mandandi labor improbus: Hinc molestissima, ac obstinatissima illa pugna carnem inter ac spiritus, atque sæva lex illa peccati in humanis membris, legi mentis repugnans, de qua tam querebatur Paulus ipse (Rom: VII. v. 23.), et qua non quod quisque vult bonum, hoc facit, sed quod non vult malum, hoc agit. Hinc odia, inimicitiæ, rixae, homicidia, violentiae, oppressiones. Hinc dolores, infirmitates, plagæ. Hinc fames, sitis, laxitudo, aeris intemperies, siccitates, inundationes, terrae sterilitates, incendia, saevae tempestates. Hinc mors corporis; mortisque continuus timor, ac tremor ab hominibus, ab elementis, ab animalibus, ab ipsis minutissimis terrae insectis. Hinc cura et sollicitudo procurandi, quae ad vitæ substantionem, et conservationem necessaria sunt. Hinc, ut paucis rem complectamur; Hinc ejectio a Paradiso omnium deliciarum, et dejectio in hanc lacrymarum vallem. Hinc innumerabilia alia quæ longissimum esset referre. Quibus accedit, terribilis illa colluctatio, non quidem adversus carnem et sanguinem, *sed* ut ait Apostolus (Ad Ephes: c. IV. v. 12.) *Adversus principes, et potestates, adversus Mundi rectores* tenebrarum harum, contra spiritualia nequitiæ in Cælestibus.

Quæres. *Cur Deus licet summe pius, et misericors propter solius Adæ unicum peccatum, tam ingenti malorum colluvie, totum genus humanum casticaverit?*

§. 583. R. In iis, quæ Deus facit, frustra rationem quærimus. Nobis, ut credamus, scire sufficit ea a Deo facta esse, qui et bonus, et sapiens, et justus est; et omnia quæ facit, in sapientia facit; et pon-

dere, et mensura constituit; Si ergo tam ingenti malorum colluvie, ob Adæ peccatum Deus Mundum castigare voluit, id nonnisi ob peccati gravitatem demonstrandam sapienter, atque justissime fecisse Deum putandum est, nisi errare velimus. Hinc S. Augustinus (Lib: 14. de Civit. dei Cap: 15.) « Quisquis » ait hujusmodi damnationem vel nimiam, vel inju- » stam putat, metiri profecto nescit quanta fuerit » iniquitas in peccando, ubi tanta erat non peccandi » facilitas. Atque hic sit.

FINIS TOMI III.



TOMI III. INDEX.

TRACTATUS I.

TRACTATUS II.

TRACTATUS III.

ERRATA CORRECTA

Pag. 3. *v.* 28. *alus*, lege, *alius*. *Pag.* 5. *v.* 12. *si piens*, lege, *sipiens*. *Pag.* 7. *v.* 17. gentes, *lege*, gens. *Pag*: 8. *v.* 4. Amphidia, *lege*, amphibia. *Pag.* 11. *v.* 15. ast, *lege*, est. Pag. 12. *v.* 1. cratuae, *lege*, creaturae. *Pag.* 15. v. 24. *aidetur*, lege, *videtur*. *Pag.* 24. *v.* 6. constibutos, *lege*, constitutos. *Ibid.* *v.* 21. sunt, *lege*, sunt. *Ibid*: v. 26. paenae, *lege*, poenae, *et ita semper*. *Pag.* 28. *v.* 9. Esecentiam, *lege*, Essentiam. *Pag.* 56. *v.* 54. *illuminimini*, lege, *illuminamini*. *Pag.* 57. *v.* 8. cludunt, *lege*, claudunt. *Pag.* 43. *v.* 18. cur ptot eccata, *lege*, cur tot peccata. *Pag.* 46. *v.* 12. quae, *lege*, qua. *Pag.* 51. *v.* 11. *cospiciuntur*, lege, *conspiciuntur*. Pag. 52. *v.* 1. Deatis, *lege*, Beatis. *Pag.* 53. *v.* 26. *andivi te*, lege, *audivi te*. *Pag.* 54. *v.* 17. Atqai, *lege*, Atqui. *Pag.* 56. *v.* 3. ellectum, *lege*, effectuum. *Pag.* 57. *v.* 14. *dele haec verba*, quod adspectabile est, id quod. *Ibid*: v. 18. impisibile, *lege*; impossibile. *Ibid.* comprehensive, *lege*, comprehensiva. *Pag.* 58. *v.* 32. riderunt, *lege*, viderunt. Ibid. v. 25. Sriptura, *lege*, Scriptura. *Pag.* 61. *v.* 15. jus, inaequalitatis, *lege*, jus inaequalitatis. *Pag.* 66. *v.* 54. Deutos, *lege*, Beatos. *Pag.* 68. v. 31. essentio, *lege*, essentia. *Pag*: 72. *v.* 9. *contgentia* lege, *contingentia*. *Pag.* 74. *v.* 11. scatur, *lege*, gnoscatur. *Pag.* 83. *v.* 26. quaeis, *lege*, queis. *Pag*: 85. *v.* 13. qua, *lege*; quod. *Ibid. in N.* *v.* 1. *petraa*, lege, *pertra*. *Pag.* 86. *v.* 5. *potest agere*, lege, *potest voluntas agere*. *Pag.* 87. *v.* 27. perefectissimus, *lege*, perfectissimus. *Pag.* 112. *v.* 16. mortalis, *lege*, mortis. *Pag.* 119. *v.* 35. perseveramus, *lege*, perseveremus. *Pag.* 121. *v.* 4. in N. tamen de ea, *lege*, tamen ea. *Pag.* 123. *v.* 15. Dinc, *lege*, Hinc. *Ibid.* v. 35. prsbabilius, *lege*, probabilius. *Pag.* 124. *v.* 8. *augusta*, lege, *angusta*. *Pag*: 125. *v.* 9. praeevisionem, *lege*, praevisionem. *Pag*: 128. *v.* 21. sufficere, *lege*, sufficienti. *Pag.* 129, *v.* 7. §. 297. *lege*, §. 291. R. 2. *Pag.* 134. *v.* 22. creataram, *lege*, creatarum. *Pag*: 138. *v.* 3. communicetur, *lege*, commnnicentur. *Pag.* 140. *v.* 13. pletas *lege*, pietas. *Pag*: 141. v. 28. Dius, *lege*, Divus. *Pag.* 144. *v.* 18. produsere, verbum, *lege*, producere verbum. *Pag*: 147. *v.* 1. qnartum, *lege*, quartam. *Pag.* 149. in N. v. 1. *grvius*, lege, *gavisus*. *Pag*: 151. v. 24. runt, *lege*, rant. *Pag*: 152. v: 9. *inverunt*, lege *iverunt*. *Ibid.* *v.* 31. 33. Gaenesis, *lege* Genesis. *Pag*: 166. *v.* 34. inquistione, *lege*, inquisitione. *Pag*: 169. *v.* 25. inqutr, *lege*, inquit. *Pag*: 170. *v.* 18. reclationes, *lege*, relationes. *Ibid.* v. 22.

aliisque; paucis, *lege*, aliisque paucis. *Pag.* 171. *v.* 11. *lio*, lege, *lis*. *Pag*: 180. *v.* 5. *manet*, *in caritate*, lege, *manet in caritate*. *Pag.* 181. v. 10. producere, *lege*, procedere. *Ibid*: *v.* 15. Spiritu Sancti, *lege*, Spiritus Sancti. *Pag*: 187. *v.* 22. milli, *lege*, mitti. *Pag*: 189. *v.* 25. neccessaria, *lege*, necessaria. *Pag*: 192. *v.* 1. Christiam, *lege*, Christianam. *Pag.* 199. *v.* 22. physicas motus, *lege*, physicas motūs leges. *Pag*: 200. *v.* 21. continges, *lege*, contigens. *Pag*: 201. *v.* 19. nibil, *lege*, nihil. *Pag.* 207. *v.* 13. dixistet, *lege*, dixisset. *Pag*: 209. *v.* 16. tunni, *lege*, tumni. *Pag*: 211. v. 23. *vauca*, lege, *vacua*. *Pag*: 212. v. 11. *manum*, lege, *manuum*. *Ibid*. v. 14. *ipso nihil*, lege, *ipso factum est nihil*. *Ibid*: v. 35. firmamemtum, *lege*, firmamentum, *Pag.* 214. *v.* 5. in N. lymbis, *lege*, lymphis. *Pag.* 217. *v.* 19 *igne-*, lege, *igno-* *Ibid*: v. 23, Dso, *lege*, Deo. *Ibid.* lingo, *lege*, ligno. *Pag*: 219. *v.* 13. R. Nam, *lege*, R. Non; *Pag.* 224. *v.* 28. interogans, *lege*, interrogans. *Ibid*. *v.* 30. *mihi*, lege, *mihi sociam*, *dedit mihi*. *Pag.* 229., *v.* 14. nes, *lege*, ne,. *Pag.* 231. *v.* 2. filiios, *lege*, filios. *Pag*: 232. *v.* 24., beatissime, *lege*, beatissimae. *Pag.* 235. v. 8. *tui*, lege, *sui*, et v. 4. *Christo*, lege, *Christi*. *Ibid*: *v.* 15. *culcaneo*, lege, *calcaneo*. *Pag.* 36. v. 5. nis, *lege*, mis. *Ibid*: v. 35. FortisJuliensi, *lege* Forisjuliensi. *Pag.* 236. v. 15. *venenonis*, lege, *venenosis*. *Pag.* 241. *v.* 30. *peccaverunta* lege, *peccaverunt*. *Pag*: 251. *v.* 20. substautionem, *lege*, substentationem.

